
SENSENEY
UNIVERSITY of MICHIGAN
GENERAL LIBRARY
OCTAVIA WILLIAMS BATES
BEQUEST

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

CIVIS ROMANI

FABULARUM

LIBRI III. NOVISSIMI,

CUM PROOEMIO

FABULARUM OMNIUM QUAE LIBRIS XII. CONTINENTUR.



FOROCORNELII
EX OFFICINA GALEATIANA
ANNO M. DCCC. LXXI.
CURA IMPENSAQUE AUCTORIS.

PROOEMIUM FABULARUM OMNIUM.

LAURENTIANAE Codices custodiae
Praefectis varia claritate nominis
Hucusque visi sunt gaudere maxime
Sibi metipsis, gratulari et patriae.
Vir eruditus, Furia qui cognomine
Meus fuit decessor, post Bandinium
Doctrina rerum, et opera incomparabilem,
Longe lateque spatiatus per fabulas,
Ipsarum et conditores inde ab origine
Graecorum, quotquot exstant, et recensuit,
Et sermone latino solutas edidit,
Ut quisque legeret in eadem sententia. (*)
Ego neque Socrates, nec Æsopus, et eis
Cilix superior Conis, nec Sybariticus
Thurus, nec orae Cybissus Libystidis
(Quos omnes peperit Indica praeminentia)
Hos ego, Romanus civis, atque patriciae
Florentinorum nobilitatis particeps
Ab eo Ferruccio, quem libertas perdita
Secum sepultum tenet, absque indicio loci,
Hos ego superavi, de penu meo datis
Numero quingentis fabulis, et amplius.

(*) FABULAE ÆSOPICAE cura ac studio Fr. De Furia Vol. II. Florentiae 1809. 8.vo — et Lipsiae 1810. 8.vo sumpt. I. A. G. Weigel.

Haec utinam sint narthecia summo tempore
Praedita remediis, quibus utantur singuli,
Ut revalescant, tueantur se vel sospites
A peste morum et ordinum novissima.
In hacce spe requiescere fert animus mihi
Vivo, aut sepulto: designare nam solet
Triumphum Veritatis mortis exitus;
Quae mors judicium praeparat vitae, ac viae:
Saepe et cupressus, post exequias, anteit
Æternas lauros debitas merentibus.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII
Fabularum Liber X.

AD IOSEPHUM H. LUPTON
alterum a magisterio in Paullianis Scholis Londini.

Lupton, magister ex officio nobilis
Humaniter per litteras puêrtiae
Formandae cura morum et doctrinae pari,
Res sancta est liberalis institutio
Semine virtutum germine succrescentium,
Dociles alumni si respondeant Deo
Danti sapientiam post res scientiae
Digestas disciplina, quae viget scholis.
Ætas ad curiosa se deperditam
Fert persequenda misero cum dispendio
Virium et ingenii, praematura indagine.
Fit inquietus fervor per subsellia
Discipulorum sibi cupide exspectantium
Proponi mirabilia, nova, nec antea
Excogitata, vel praesentibus edita.
Stulti petendo! quod civilis est viae
Quasi commeatus, pertinet ad substantiam
Vitae, ceu panis, peregrinus qui nullibi est.
Ali naturae sustinete de penu,
Donec sit alis extra plumam sistere.
Tu, docte Lupton, principales comprime
Tuae palaestrae minime temperantibus
Optatis, mox ut saliant, ceu sub pollice
Aquae fons admirandus altitudine
Postquam cunctari pertulit, latices ciens.—

I. FUNUS ET VITA.

Rides legendo? legere ridendo licet
Vivere dum vis, hortantem ut discas emori.

Attamen oportet vitae praecedat modum
Ineptiarum funus, atque imaginum
Securitatis inter summa pericula.
Satis est ciborum stomacho, sed qui maxime
Prosint, nunc rari sunt, ut sint parabiles
Minimi: coquorum veterum namque displicet
Simplicitas, eleganter et eunt omnibus
Omnes culinae; nec venenum jam cavent,
Dummodo concinnum crusto sit tectorium.
Has ego volenti quare praeparo dapes,
Quae sint alendo, sint medendo nec minus.
Deliberata sed voluntas est ibi
Vadimonium salutis, ubi quis accubat.

II. SILICERNIUM.

Ipsius in promulside silicernii
Disputabatur de viri praestantia,
Et meritis, cujus mors contristat patriam.
— Omnes cumulavit omnibus hic beneficiis —
Vox fuit. — Ingratos ergo fecit plurimos,
Respondit alter: quibus utuntur, nam bona
Ægre fatentur se debere mortuis. —
Adeo immerentûm justa est conscientia!

III. CUSTODIA SENSUUM.

Quid custodire sensus sit, nil attinet
Dicere volenti vanitatem fallere
Aversis oculis, obseratis auribus,
Deliberatae mentis habitu, cum fuga
Periculosae occasionis praescia,
Animum ne quatiat ulla perturbatio. —
Janua ni clausa sit, vento fit copia
Intrandi subitae tempestatis nuncio.
Interioris cellae quapropter angulo
Praestat latere, donec omnis detonet.

IIII. LABOR ET DOLOR.

Senectus est faex vitae amara funditus
Bibenti, qui nil timeat ejus temporis
Opprobrium, longas impetret et inducias.
Quod exhilaravit juvenem, affecit et virum
Honore, grave fit morsu conscientiae,
Sibi si plus aequo indulsit, si laesit pares,
Deoque minuit cultum humiliter debitum.
Plerumque mortem summa poenitentia
Praeit peractae vitae, pacis ut viam
Sternat perpetuae, dissipatis nubibus
Curarum misera cum spei fallacia.

V. ASINUS ET ACREDULA.

Circumsonabat aures asini acredula.
Ejus imitator fieri voluit musicus
Ruditu formidabilis; et jussit fugam
Invitus huic, et sylvis audientibus. —
Fit praepotens quicumque violat gratiam.

VI. PUDOR ET PALLOR.

Facit verecundos pudor, et pallor invidos.
Dictum est magistris, ne pervertant indole
Discipulos, dum sollicitant, ut sint aemuli.
Gradus ab invidia brevis ad contumaciam est.
Pudor arrogantes nunquam arguit, aut noxios,
Ingeniorum ut seditio conturbet scholas.

VII. ANCILLA ET MURES.

Ancilla bene curabat felem; et murium
Queri solebat aliqua de praesentia
Argumento stultitiae inexcusabilis. —
Omnibus in rebus negligentiam parit
Satietas: ideo magna est vis jejunii.

VIII.

CORIUM.

CORIUM gemebat sub sutoris forcipe
A subula transadigi spissis ictibus,
Sonante mallet quod distendi tympano.
— Bonum est, sutor reposuit, adquiescere
Fatis quibusque suis cuicumque subdito.
Transfixum sustinebis ire quo pedes
Cauti traducent habilem te calcaneis.
Distentum pulsu per bacillos duplice
Noctes diesque sustineres percuti
In castris, aut theatris strepitu perditis. —
Servire natos hoc commentum respicit.

VIIII.

CANIS EXSECRATUS.

MISER ab intorto fune trahebatur canis
Forte ad macellum, pluribus insequentibus:
Millo relaxato, fugitivus sed omnium
In risum vertit odia, subducens caput.
Vitiis immanibus impotentes acriter
Feruntur in poëtas quovis nomine
Adlatrantes eisdem, impune dum licet.
Immunes poenae deridiculo sunt tamen,
Qui vivi officiunt versu, ut prosint mortui.

X.

DOMINUS ET ANCILLA.

QUIDAM thesauro gaudebat recondito,
Idem et lamentabatur quod apud ordinem
Nobilium minimi foret, et gratus nemini.
Ejus at ancilla veritatis conscia
Herum locupletantis clam pecunia,
Occurens querulo simplici sententia
Ait: — in propatulo cur non statuis abditam?
Adeo de te sollicitus in contrarium. —
Ut discat dominus, secum similes et sui
Se desiderio temperare nominis.
Operta virtus nam radicitus juvat

Expers invidiae, aperta sed confligere
Debet cum vitiis, sterilis a calumnia.

XI. BOREAS ET SOL.

Contendens Boreas obtruncare vimina
Ibat vehementer incursando flatibus.
Devexus ad occasum Sol a meridie
Vidit, et admonuit, poneret ut irae modum,
Obsequio humilitas nam fit insuperabilis.
  Demissis animo suffragantur sic viri,
Quos aggrediuntur frangere vi superbiae.

XII. SOPHISMA.

Sedens sophisma rationis velamine
Contectum, ex cathedra quaerebat subtiliter
Decipere haerentes altius radicibus
Salutaris doctrinae in omne seculum.
Insinuans se verborum lenociniis,
Et fraudibus irrepere agebat, ceu frondium
Sub viriditate coluber inaestimabilis.
Homo peracutus sed praeciso circuli
Vitio, nec specie recti deprênsus dolis:
— Exspecto fructus, ait: amaros suspicor
Sed hos futuros a lanugine morbida: —
Os simul avertens tergus objecit fuga.

XIII. AVUNCULUS ET NEPOS.

Avunculus nepotem natali suo
Strena donavit nobilis horologii
Solido ex argento, simul indicibus aureis.
Totum hoc sed pretii per mômenta claudicans
Breviter nepoti curae fuit, ac taedio,
Inofficiosum qui resignavit patri.
Pater opportune monuit: — Ut scias, puer,
Usu praecipue, nec materie perfici
Proprie, vereque pretiosum quod dicitur.
Ita et ingenium sine lege vix probabile. —

XIIII. MERULA ET MERGI.

Merula solivaga mergos apricos semel
Offendit aquis incontinenter deditos,
Ut temperarent his varietatem cibi.
Incidit in pedicas ea, quae cantare docilis
Spem non fefellit perspicacis aucupis.
— Me perditam, ait, opinione scientiae!
Sub sole, et inter uda mergorum genus
Edax, bibaxque libere indulget sibi. —
Rara est ingenii vis servire nescii;
Captura bene curatum, et pingue nam facit.

XV. ELEPHAS ET LEO.

Elephas adacta dum ludit proboscide
Coram consessu caveae, positum proxime
Leonem collo implicuit. Hunc laesit Leo
Unguibus elatis in periculo gulae:
Elephas sed interclusit eundem spiritu.
A mole virtus premitur: nec fit utile
Recalcitrare detrectantibus jugum.

XVI. PAUPER ET DIVES.

Stipem rogabat divitis ad fores domus
Pauper movere solitus misericordiam,
Orans, benigne sibi fieri propter Deum,
Ejus et amorem. Dominus respondit semel:
— Hoc ago; sed me qui diligant, ego nescio. —
Plerumque largus, quae fortunae sint, opum,
Jam non amorem fert, invidiam suscitat,
Humilitas intercedat nisi consortio.

XVII. PASSERES ET ARBOR.

Vespere inexpletum pipientes passeres
Totam occupabant insolenter arborem.
Se tandem componentes in silentio,

Frondibus admixtae somnum haberent ut suum,
Captivitatem retium capacium
Misera invenerunt strage multitudinis. —
Exemplo caveant, militares copias
Exaggerando qui se produnt hostibus
Prudenter occultantibus teterrimum
Quod gloriosos fine afficiat pessimo.

XVII. LATERNA ET LAMPAS.

Vetus laterna luminis reconditi
Coram petrolei stetit ardentis lampade.
— Omnia videre do per tenebras — haec ait.
Laterna sed reposuit: — imprudens facis,
Pandere secreta dum vis omnibus omnia. —
Sapiens delectu singularis ad optima
Fertur vigiliis, facile ignorans cetera.
Adhibet naturae vim, qui noctes integras
Pervertit importunae lucis copia.

XVIII. MANSUETUDO.

Augustus ad Tiberium graviter litteris
Querentem de malevolis obloquentibus
— Magnum est si nos adsequimur, ne sint malefici —
Rescripsit. Principatu nequis arbiter
Sui similium, statuat se supra Deum,
Tolerat illaesus impia qui convicia.

XX. INSOLENTIA.

Quidam insolentes a vapore navium
Ridebant tempestatem turbidam aequore,
Humanae mentis attoniti miraculis.
Vix animadversus proram servabat senex,
Superis vovendo se sollicita supplicem
Prece, sub ruina caeli cum periculo
Laterum rotantis impetu temerario
Ratis inter fluctus vortice subitaneos:

Ridebant et hunc comites alterius notae.
Humilis sed ille: — Temperate vos, ait,
Animis, et observate quem finem parat
Natura satis explicita vobis, et mihi;
Nî Deus intersit propitiabilis mari.
Debemur omnes morti, sed mortis genus
Est deprecandum violentae naufragio,
Quod non timetis vos, vel parvi ducitis
Male confidentes machinae, plusquam Deo. (*)
Sublimes injustitiae sunt enim virûm
Conventu, rerum et operum quaecumque superant
Vi vel portento; nam superbos efferunt,
Licenter expeditos et faciunt metu,
Habenas quos audire fert necessitas
Vitae civilis pro salute publica. —

XXI. AMARITIES ET DULCEDO.

Quî fit ut in amore quod est desiderabile
Plerumque amaris se det circumstantiis
Habendum? Dulce involucrum abscondit pharmaci
Salutem ingrati propter amaritudinem:
Hîc assequi quod placeat, a contrario est.
Soror it Amoris per coetus mortalium
Patiens Libitina precibus optari diu
Non exauditis, tandem digna merentibus
Retribuens a dulcedine piae memoriae.

XXII. MEDICUS LETHALIS.

Longam occupabat pompa funebris viam,
Sequace luctu convenarum maximà
Celebritate cum ceris flammantibus.
Servans fenestram medicus prospectantium
Moerorem verbi vertit in risum sono:
— Huic ego medebar, efferri quem mortuum

(*) *Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino.* (Psal. IV. v. 6.)

Videtis; et me vigilem decepit fuga. —
  Nemo candidius est locutus: attamen
Nemo consuluit pejus nomini suo.

XXIII. SORS HABENTIUM.

Habere quid sit, nemo declarat satis:
Ideo lis fervet circa res parabiles,
Et inter cives odia sunt teterrima.
Deus opes animi tribuit: dat opes corporis
Plerumque Satanas infestus credentibus
A Cruce gradum fieri breviter ad gaudia,
Regnumque Patris, habitat qui caeli sydera,
Fulmine et adactum Satanam infixit Tartaro.

XXIIII. PATRES CONSCRIPTI.

Ex aemulatione principalium
Languebat urbs consiliis imprudentibus.
Accensus aulae proximus hac argutia
Momordit omnes. — Pileati singuli
Patres conveniunt, huc et adsunt: nescio
Quo fato, sed ubi, capite retecto, pileum
Ponunt, ibi cerebrum restat, et vacui sedent.

XXV. SURDUS ET VICINIA.

Surdus habitabat ubi noctis silentia
Turbabant reduces a concentu musico
Numeris imparibus, vocibus et inconditis.
Erat vicinis id longo fastidio,
Qui cogitârunt dare libellum supplicem
Quaestori, ut has averteret molestias.
Surdus rogatus ut eidem subscriberet,
Respondit. — Blandiuntur auribus meis
Sic obstrepentes: quare vobiscum queri
Si vellem, damno facerem conscientiae. —
  I nunc! propone quod bono sit omnium;
Minus perfectis mala dum sunt solatio.

XXVI. PÖETA ET PRINCEPS CIVITATIS.

PÖETA voluit esse possessor domus,
Moleste sed ferebat vectigalia.
Quapropter impetrare ab aequo principe
Immunitatem cogitavit optime
De publica re meritis jure debitam.
Constitit ut coram: — Quaenam virtus est tua
Digne merendo? audivit. At ille: — liberos
Amores cecini. — Rectius, princeps ait,
Mores dedisses emendatos carmine. —
Quod postulabat et negavit supplici.

XXVII. PÖETA ET COMES PALATINUS.

PÖETAM offendit humilem, nec nitidum coma
Comes Palati luculentus in toga.
— Salve! pica loquax — ait hic: ille subdidit:
— Have! persona dignitatis aulicae. —
Prudens obmutuit, qui lacessere voluit
Scalarum ascensu defraudantis regiae
Vota pöetarum, genere hunc irritabilem,
Ægre ferebat qui repulsae vim redux.

XXVIII. PRODIGUS AD CENSOREM.

RERUM suarum prodigus Voconius
Animadvertentem in se Censorem corripit
His verbis: — Romanorum vero civium
Egregia haec est libertas! si quando velint,
Quibus non liceat liquido sua disperdere. —
Ea vox a fundamentis evertit domos,
Civilem et ordinem impia licentia.
Impune haberi, non est integrum bonis,
Injuriosum lingua sic Voconium.

XXVIIII. MUS ET SENEX.

TRAHIT ad interitum naturae mutatio.
Mus impetrabat vivere: misêrtus senex
Detraxit dentes libertati reddito:
Vivere sic tenuit breviter absumptus fame.
Qui rapto gaudent, habeant hoc dictum sibi.

XXX. FUR ET JUDEX.

FUNE religatam rusticus habebat asinam
Cum pullo. Fuit abductos qui prae corbula
Traheret fabarum, fune resoluto, tamen
Arrepto, ut furtum detorqueret a via.
Is abigeatus reus, ut coram judice
Stetit, haec perfricta fronte locutus intulit,
Orando veniam. — Aggressus funem tangere,
Mox etiam trahere, sensi quid majus sequi.
Ea potiri fune volui, sed pecus
Venit asininum secum. Quî repellere
Utrumque poteram? Parcit confitentibus,
Plectit negantes Deus: ego quid admiserim
Sic retego, magna spe tuae clementiae.—
Judex astutum affecit poena duplice.

XXXI. DIOGENES ET DIALECTICUS.

DIOGENI quidam occurrens sermone rigidus,
Angustus animo, et pravus cynico pauperi
Est ausus dicere: — Heus! tu non es quod ego sum. —
— Homo sum — reposuit ille: ut alter disceret
Audax loquendo, se brutis animalibus
Esse adnumerandum grege cum similium sui.
Dos est humana litterarum gratia.

XXXII. ÆGROTANS ET MEDICUS.

A BILE similis aegrotanti vir tori
Spondam ad utramque pertinebat nescius

Quietis. Medicus adfuit: ille sed auribus
Ejusdem insussurravit: — Caveo conjugem. —
Uxor inimica pacis est cohors febrium.

XXXIII. DEBITOR ET CREDITOR.

Æris alieni praegravatus pondere
Vir impetrabat utiles inducias,
Solvendo ut esset ad kalendas Julii,
Sibi precatus, fidei si desit, necem.
Dilata ad idus res est, indulgentia
Avari creditoris, numerum ut impleat
Dierum usura justum apud mensarios.
Quisnam putâsset, eum apoplexi pridie
Idus futurum grave cadaver in foro
Et huic, et aliis exspectantibus lucrum?
Differre semper nocuit (ut est in carmine).

XXXIIII. ASINUS GALEATUS.

Judicium meriti, quia non est merentium,
Plerumque fallit a mercedis inopia
Magna spe semper praecurrentes subditos.
Asinus exstimulatus in exercitus fuga,
Quorumdam militum commeatum sospitem
Ab hostibus portabat clitellis tribus.
Vector gemebat sub iniquo dum pondere
(Gerere nam juste duplices dicimus asinos)
Supervenit qui galeam capiti imponeret:
Bene toleratis haec et merces sarcinis
Fuit, ad extremum perquam difficilis viae.
Ibi tabernae fictus in signum stetit,
Ætatem ad nostram, mire galeatus asinus.

XXXV. QUERCUS ET VIMINA.

Annosa quercus sustinebat corpore
Umbram salubrem, protegendo vimina,
Ægre ferebant quae carere solibus.

Saepe renovata querulae quapropter prece,
Agricolas fecerunt immaniter impios
In seculare robur glandibus utile.
Tegmine sublato, terra concepit sinu
Calorem aestivum, quo perusta viminum
Natio defecit a mollitie propria,
Radicitus et occubuit, arescens cito. —
Multi impetrando melius, amittunt bonum,
Genus et proclive malo, fit compos pessimi.

XXXVI. MULUS ET EQUI.

Mulus adoptatus in equorum consortium
Voluit majorem se probare spe bona.
Venit ab auriculis qui discerneret ferum
Minime crinitum collo, nec cauda magis,
Simul et abegit impetentem calcibus
Vicinos intolerabili superbia. —
Nothorum haec est imago subjacentium
Pudori, donec humiles afficiat metus:
Facit arrogantes sed eos indulgentia.
Id confirmari vidimus novissime
Exemplo temeritatis admirabili,
Sequace poenae praepotentis exitu.

XXXVII. MULLUS, SCOMBER ET CANIS MARINUS.

Mullus barbatus, scomber et habilis garo
Inter se contendebant de praestantia,
Ille pretiosus, hic sed utilis magis.
Canis marinus dente litem sustulit
Depastus ambos. — Hoc dictum est discordibus.

XXXVIII. FICEDULAE.

Convivium e ficedulis lautum nimis
Rus perlustranti domino fecit rusticus.
— Quanti est? (ait) ante quam delibo tam leve
Aucupium, sumptu sed parabile sat gravi.

An non gallinae pariunt hic quid vilius,
Stomacho sed melius, nec crumenae incommodum?
Mores urbani male pervertunt usibus
Hodie ruricolas, dominis ut redargui
Eos sit laesae dapibus temperantiae.

XXXVIIII. LEPUS ET AQUILA.

Occurrens aquilae contra naturam lepus
Petiit, in altum tolleret, optatissimo
Gauderet ut despectu agrorum, et urbium.
Aquila: — quod te sit altius fuge quaerere —
Dixit inutiliter: quare assumpsit unguibus
Sequi tunc dubitantem, sed avulsum solo.
Aëre diriguit medio, curiositas
Quem fecit importunum temere, et amplius
Amentem vasto spatio caeli, et syderum.
Gratia sit aquilae! semivivum quae suis
Demisit hunc latibulis, ut vulgarium
Nimis arrogantes spes circa scientiam,
Fabellae premeret exitu memorabili. —

XXXX. TALPA ET RUSTICUS.

Talpam arguebat otiosus rusticus,
Quia subterraneus ageret. — Ego (reposuit
Talpa) reminiscor operae, caecus et hanc humum
Submoveo: tu superius invadi tuam
Cessando pateris, possideri et gramine. —
Hoc ego nil dubito dicere temerariis,
Qui functionem officii derident mei
Plane vacantes. Studiosus per abdita
Versor, et in tenebris veritatem persequor,
Quae nota vivis odio est, et opprobrio.

XXXXI. AULICUS ET POETA.

Adulatorum pessimus inter aulicos
Domus Augustae de praeconiis ali

Quaerens, poëtam adivit sane pauperem,
Sibi prospiceret ejus ut empto carmine
— Quid est magis quod optes in vita dari? —
Dixit: sed alter: — plerumque necessarium,
Ne jus amittam veritatis libere
Pangendae regum pueris, et paribus tui. —
Hoc habet proprium veritas; silentio
Ut condat imprudentes, aut mandet fugae.

XXXXII. TIBERIUS ET LEGATI.

Troja legati venerunt ad Tiberium
Sero dolituri mortuo de filio
— Ego sed (imperator dixit) Hectore
Doleo de vestro tamdiu morti dato. —
Diruit officii meritum negligentia.

XXXXIII. TONSOR ET SOPHISTA.

Indignabatur tonsor, sub novacula
Cadere negabant mento quippe rasili
Altius haerentes hispidi barba pili.
— Omnia mollire possum agens subtilius
(Sophista dixit) vi mea dialectica;
Hujus praeter naturam hirsutam velleris. —
Apage! sophista nemo est induratior.

XXXXIIII. PETRARCHA ET MALEVOLI.

Oppone risum criticis insolentibus:
Salit ultra fines libera indignatio.
Tales sibi molestos offendit domi
Petrarcha regum, et procerum cultu nobilis.
Quare irritatus Italos hoc convicio
Affecit omnes hostis imperatorii. (*)
— Horum est acuta lingua, malignus et animus,
Judicium temerarium, infidele denique

(*) Fridericus Ænobarbus.

Foedus amicitiae labilis in perjuria. —
Cavete falli insidiis elegantibus,
Vincite Sirenas obstructis et auribus!

XXXXV. VIOLATORES SEPULCRORUM.

Aliqui percutiendo telluris intima
Serie sepulcris obsoleta nominum
Investigabant upupis, et ligonibus
Nobile quod pretio forte fuisset abditum,
Utile recepta fieret ut pecunia:
Invenerunt plerumque sed putredinem. —
Crimen avaritiae maximum est, quod ossibus
Non parcit, manes inquietos et facit,
Qui vanitate vota eludunt impia.

XXXXVI. APIS ET CICADA.

Murmure operosa trepidans et in alis apis
Libabat florum calices ex industria
Mellis: cicadae resonabant alacriter
Continuantes, quod acute perstringat caput.
Ausa est inter agendum querelas edere
De strepitu mordax apis: — An ad silentium
Redire vos terrigenas continget semel? —
Una e cicadis hac se voce prodidit:
— Boum corruptis de visceribus sordida
Stirps, incolatu vaga, furax aculeo,
Nobis abeuntibus, Sol decedet, et breves
Parvo intervallo advenient Autumni dies,
Instante bruma, vos quae contumulet nive. —
Plerumque avari, qui vacant negotiis
Leves poëtas rident, aut fastidiunt,
Ut contabescant taedio rerum, et sui.

XXXXVII. APIS ET BOMBYX.

Contaminato sibi de flore congerit
Apis quod sit concepta mel dulcedine.

Bombyx sed artifex, et materies sui,
Opere sericeo fit captivus, denique
Resuscitandus alis praetrepidantibus.
Sunt ingeniosi, sunt et omni industria
Qui faciant studiis litterarum gnaviter
Vacando: tamen excellit, de penu suo
Qui dat quod habeat indumento carminum
Sepultus, ales ut prorumpat carcere.

XXXXVII. EQUUS ET CUNICULI.

Sonipes acceptus domino supra ceteros
Cuniculis dolebat, fieri copiam
Libertatis apud se detentum vinculis.
Plaudendo palmis pectus et collum teres,
Adulabatur dominus interdum fero,
Procerum et exemplo vix placabat, regiae
Adfixi, nobile qui servitium sentiunt,
Perferre jam nec moerent, sed superbiunt.
Equus ad haec — Faciant ratione quod hoc praediti,
Miror vehementer; nec ego invideo splendidis
Eorum ephippiis, rationis nescius
Resignarem qui mea bullis insignia
Prae libertatis munere inaestimabili. —
Ideo libertas dicitur, et est aurea.

XXXXVIII. ÆTERNITAS.

In umbra platanorum choreis nobiles
Puellae exercebantur a meridie
Cum risu et strepitu juvenes inter rusticos.
Moerebant pinus et cupressus ab edito
Testes tripudi — Nos tuemur imaginem
Æternitatis (sibi dicebant invicem):
Ideo vitamur. Nemo seria diligit
Florens aetate; circumventum seriis
Dabunt sed anni breviter, et curae graves,
Donec caducus a laboribus suis
Sub umbra nostra pacis inveniat locum. —

Quantumvis inculcata fatorum soror
Inevitabilis, et proposita praemio,
Desiderari praesens negat aeternitas.

L. GIGAS ET CHIRON.

Inter bimembres agmine Centauros gigas
Honore maximus ignorabat, quam valet
Rerum cognitio prosperum ad vitae modum.
Venit ad Chironem medicum, qui dixit: Abstine
Syderibus: haec summa est. — Qui fiet integra
Mihi dignitate principalis in grege
Nubigenûm? — corrugatis fronte et naribus,
Respondit alter aliqua cum superbia.
Chiron reposuit: — Monte sunt Hieratico
Salutares sed herbae; has internoscere
Opus est difficile. — Tunc expediit se gigas
Via, redux et attulit Phillyridi
Non expectanti montem ipsum a radicibus,
Daret ut electas quibus inest mitescere
Animo, nec velle, quidquid rutilat, tangere.
Dictamnum helleboro junxit Chiron, et manu
Utrumque attritum miscuit, inde ut poculum
Fieret salutis postulanti gratiam
Cordis se temperantis praeminentia.
Facile est videre sub pigmento fabulae
Quam stulta sit vis, careat si prudentia
Comite, aut magistra, dum tenet fastigium.

LI. DOMINIUM.

Dominium mutat sors, idemque destruit
Mors, rebus concedentibus ad extraneos,
Tandem deleta gente vitiis obsita.
Hoc est in fatis: ne queratur innocens,
Luat quod poenas aliquando peccantium.
Legum qui poena prospexisse se putant
Moribus, et ordini, celebrant quem publicum,
Satis expedite faciunt decreto modi,

Leviter proficiunt, Tentandum radicitus
Cor est humanum, quod plerumque ambagibus
Solet labyrintheis scrutantes fallere:
Majore fraeno poena turpitudinis
Coërcet audituros conscientiae
Latratus, ejus atque morsus intimos;
Ubi scholarum vox perpetua consonet
Virtute cum rectorum honesta colentium:
Eorum exemplo nam constat respublica.
Hoc si deficiat, omnis praecipitat fides
Justitiae, ut crimen sit, non esse pessimum.

LII. POLUS.

A DAEMOGORGONE Polum extitisse genitum,
Tradunt poetae, fabricante machinam
Solis, cujus favillas sollers filius
Omnes in proprium transtulit cubiculum.
Sunt qui pro Daemogorgone verius Deum
Sole et syderibus recolant auctorem rei,
Quae cognitionem sensui dat lumine.
Odore, auditu, gustu, tactu possumus
In tenebris uti nos, sed visu neutiquam,
Nisi intercedat lux, quae laudes integrat
Dei creantis hoc mundi spectaculum.
Breviter huic interesse nobis est datum,
Sed non et illud nostro regere arbitrio. —
Polus est ingenium felix a Patre luminum,
Eorum quod ramenta quantumvis legat,
Tollat et anhelum, numquam concipiet omnia.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

Fabularum Liber xI.

PROLOGUS.

Inter meas indagines non ultima
Fuit Academi per sylvas, per porticus
Et Stoicorum seria disserentium,
Ope poetarum, tempore ab immemorabili,
Data vis loquelae quare sit animalibus,
Rebusque sensu, ne dum voce carentibus.
Nihil extricando, quaestionem sic meam
Mihi explicabam salice sub lenta sedens.
Vir litteratus, puteum dum scientiae
Adit, duabus situlis cogitat agere,
Vicibus alternis quae se praestant utiles
Aquando: mens, et sensus situlae sunt enim.
Mens impedimento laborans ab aliquo
Nisi veritati serviat, sensus subit
Communis nobis pariter et animalibus
(Quo praevalente in eis, quandoque vincimur),
Tunc et animalia dant causam volumini:
Quae nisi sufficiant, fit descensus ad infima,
Ut a profundo emergat hausta Veritas. —

I. FONS ET PALUS.

Fons erat exiliens prominentibus jugis,
Nec impediebant muscum, et saxa quominus
Iret perspicuus inter utrumque marginem.
Sed veniens ad paludem denique languidus,
Decus amittebat, insuaves ut aleret

Ranas; perpetuum fieret et vitium aëris,
Fumante stagno tristium auctore febrium.
Vos, adolescentes, hac imagine liquidae
Perspicuitatis, vos adumbrat fabula.
Sincera quae fuit indoles ab origine,
Communione prava fit impudentium
Horum, qui mores ad licentiam trahunt,
Contenta voce libertatem dum crepant.
Ignotum est qua potentûm conniventia
Eat sic dissoluta nunc perversitas,
Ipsi sibi dissimulent et pericula.
Interea rerum et hominum sunt naufragia
Hic, cum salutis praecipitio publicae.

II. DISCIPULUS ET SOREX.

Addicti litteris pueri mater pia
Oleo replebat testam pauperis luti
Quocumque vespere, lucubrationibus
Vigil ut vacaret ille, pensis et scholae.
Sorex minuebat nocte sed quavis datum
Alimento flammae stamine de multiplici.
Hujus ad integritatem olei dispendio,
Advertit animum mater, sero conferens
Indole cum crassa pueri spes leves suas.
Movere saxa potuit (ut ajunt) Orpheus:
Inertem sed natura qui dat litteris,
Laterem lavando peragit opus inutile.

III. MATER ET FILIUS.

Mutus magister error est, idem intimus
Et castigator morsu conscientiae.
Invita matre, puer indulgens aemulis
Erat saltando, tulit et sic laesum genu,
Vitam per omnem fieret ut brevis pede
Damno perpetuo, vi pudoris et pari.

IIII. CURRUCA.

CURRUCA nutrix alienae propaginis
Avicularum, ridiculo dum comperit
Haberi se, non inficete protulit
Haec dicto: — Quia nunc plurimi mortalium
Obliviscuntur officii quae sunt sui
Erga indigentes, nos curas, nos et operam
Nostram navamus in exemplum minoribus.

V. VETERES ET NOVI.

RECENTIORES aetate veteres solent
Culpare, magno studio quia laudant sua,
Intemperanter et obloquuntur de novis.
Seges vitiorum cujuscumque temporis
Rebus et hominibus it molesta: sed hodie
Quies inexplicata conscientiae,
Gloria peccato, poenae decus est additum,
Delictis et flagrantibus impudentia.

VI. INFANS ET FAMULA.

CANIS portabat puerum infantem, manu
Quem sustinebat famula trepidans pignori.
Stetit ambulacri foeta felis ad latus,
Canis in occursum quae pilis inhorruit
Minax, timendo catulis etiam absentibus.
Morosus est quicumque ex animo diligit
Suos, et longe prospicit pericula.
Sollicitudinibus ideo vos docentium
Contemperate, pubes concelebrans scholas.

VII. VITIS ET PUERI.

STABAT racemis rubicundis optabilis
Vitis in aprico, pueris suspirantibus
Infra. Contemplans irritam appetentiam
Rusticus admovit scalam, ut inde singulis

Pendentis uvae parce faceret copiam.
Sed non sedavit exultantes impetu,
Scalam invadendo qui clamosum inaniter
Defraudant illic omni spe vindemiae. —
  Bene qui mereri benefactis se cogitant
Videant quo valeat stulta misericordia.

VIII. GLOBUS AERIUS ET DISCIPULI.

Aere suspensus globus ex oculis omnium
Evanuit: acie nihilominus in eum
Stabant intenta pueri, pro spectaculo
Ausi scholam deserere, pluries sibi
Videre visi quod lateret ceteros.
Magister immoratos sed diutius
Increpuit, ad pensa revocando debita:
Hostis nam disciplinae est curiositas.

VIIII. HARPOCRATES ET ANUBIS.

Sepultum ab aevo, Harpocratis invenit diem
Fabrile signum ex aere, cujus ad latus
Anubis jacuit obsitus rubigine.
Fuit qui latratorem cum silentii
Male convenire diceret indice numine.
Intulit haec alter in contrarium sophus:
— Linguae facultas alitur a silentio,
Audita ut sit potenter, opportunitas
Ubi fert. Sustentatus aquae rivus utilis
Molae fit agendae, qui permissus it sibi
Somniculosos facere longo murmure.

X. BRUNELLESCUS ET AEMULI.

Ordinis intemperantia diruit modum.
Operariorum ars (nomine mera auctoritas)
Jussit Philippum Brunelleschi filium
Carcere teneri, quia decretis contumax
Ejus, haberetur facile princeps omnium.

Sine testimonio fabrilis collegii.
Invidia sic opprobrio fuit aemulis
Non aestimandae titulis excellentiae;
Ingenium plerumque caret nam matricula.

XI.

OVUM.

Ovum Philippus Brunelleschi filius
Protulit, et illud statuens inter aemulos,
Petiit, ut rectum ponerent, et vertice
Constare facerent in morem pinnaculi.
Ovum sollicitus quisque dum versat manu
Ignorans, quonam locet, ut consistat, modo,
Collisum vi Philippus hoc ipsum dedit
Qua parte obtusum se praebet volumine.
Risit collegium quod erat facillimum
Factu, perspectum nemo nec habuit prius,
Excogitando quamvis tempus inutile
Tereret, extricans, circa propositum, nihil.
Haec est ingenii gloriosa qualitas,
Quae divinatur facile quod alios latet;
Deoque debet culmen excellentiae,
Artis disciplina quae fit imitabilis.

XII.

INGENIUM.

Ingenium veteres tentabant aenigmate,
Virtute naturalis ut excellentiae
Prodiret admirandum, nec ope regulae.
Judicii parsimonia vates placent, (*)
Abundantes et sensu laureas merent.

XIII.

ASINUS ET AQUILA.

Contristabatur anfractu rupium asinus,
Quia desperaret ire, salvis sarcinis.
Redux ad Caucasum, alis substitit aquila,

(*) v. Quintilian. Lib. II. cap. 4.

Perplexe agentem ut increparet: — Hoc opus,
Labor hic est mulionum cum consortibus
Mulis: male te tueris, et pondus, asine;
Nec ego possum alas commodare jam tibi. —
Onus assumentes, videant qua vi polleant.

XIIII. POPULUS ET FRONDATOR.

Expers odoris populus propter Padum
Pino et cupressu superari pinguedine
Dolebat, testabatur et ullis lacrymis.
Frondator, simul ac sensit, in solatium
Sic ait: — Esto contenta longo murmure
Tu foliorum trepidantium cacumine,
Ac umbra molli, scilicet et visco levi.
Nemo quaesivit refici ab eorum sibilo,
Dormire instituit aut sub eorum tegmine.

XV. CUCURBITA ET PLATANUS.

Cucurbita ventosa platanum brachiis
Aggressa, sterilem cumulabat conviciis,
Quia coelebs esset; quia noceret frondibus
Umbrosis nimium, quia lignando vix foret;
Denique rugosi quia non esset corticis
Ad ostendendam corpore valetudinem.
— Ingrata! te sustineo: nec satis est tibi?
Platanus, tunc ait, inutili propagine,
Plerumque et socio fricti ciceris semine. —
In coelibatu constituti plurimi,
Qui columen se dederunt utile domibus,
Hac nostra aetate receperunt has gratias.

XVI. MILES IN SOLIO.

Miles cohortis infimus praetoriae,
Absente rege, voluit sublime solii
Tentare natibus: incessit temerarium
Metus sed acer adeo, cohiberet ut male

Excessu quod fit plerumque necessarium.
— Ohe! quantum est caloris, et formidinis
In hacce sede dixit praepotentiae! —
Talem experiuntur hodie jure qui tenent.

XVII.

SEDITIO.

Tugurium pauperis erat in pomoerio
Urbis tumultuosae, qui gregarius
Honesta missus missione jam fuit.
Totus in auriculis aestimando constitit
Hic seditionem longe et late civium
Magno cum strepitu concurrentium ad forum.
— Miseros! ajebat: isti, quam sit, nesciunt
Odium civile stimulis tetrum, et horridum:
Ex inimicitiis namque singularibus
Ira bellorum pejor est rabies fori. —

XVIII.

ACINACES ENSIS ET TORMENTUM BELLICUM.

Dissentiebat ab acinace Mavortius
Ensis, circa vulnificam vim: supervenit,
Caesim, punctimque quod vix patitur in acie
Quidquam patrari, grave tormentum bellicum,
Et dixit: — Jubeo vos vacare; nam nihil
Rationabilius hic adest me judice,
Ubi retractatum jus migravit ad scelus. —

XVIIII.

ANSERES ET ANATES.

Eodem stagno versabantur anseres,
Et anates, sed colore diverso, et sonis
Vocum petentes pluviam pleno gutture.
Ripa otiantes viridi de coloribus
Quaerebant aliqui rationem. — Quid interest?
Ait unus: omnes strepitant ad fastidium. —
Consiliântum sunt ullibi subsellia
Dextra, laevaque decertantium truci
Opinionum inter se discrepantia
Eodem strepitu, nec minore taedio.

XX. PSITTACUS ET ECHO.

ÆSTATE summa psittacus a solario
Morae campestris ad umbram, adversis rupibus,
Delatus est, amoenitate qua loci
Agebat Echo delectabilis sono.
Ales versicolor multa novit dicere,
Magis immoratus in Megillae nomine.
Ergo *Megilla!* clamat: et *illa*, protinus
Reponit Echo fida. Psittacus stupet;
Megilla! mox congeminat. Echo tunc refert
Illa illa. Accurrit domina tot icta vocibus
(Nam ludus hic vocalis jam processerat
Ulterius vicibus) quid metuens a lubrici
Serpentis astu muta solitudine.
Risit sed illa, rei dum cognovit modum.
Ab una ad alteram ephemeridum sic eunt
Rerum notitiae, nuntiis praesentibus
Ab Orbe toto, quos facit exspectatio
Magni momenti, denique captando nihil.

XXI. URSUS ET PUER.

URSUS habitabat caveam maxime cicur,
Mascus qui nomine vocabatur. Ad hunc venit
Puer frigore perustus, et languens fame.
Suscipiens hospitem ursus misericordia
Manifestus insolita, vult collo subditum
Fovere, ejusdem hunc esse participem et cibi,
Piloso mox ut dormiat abditus sinu.
Unus et alter puero decesserat dies
Ita sociato, cogitârunt dum pio
Custodes ipsum avellere contuberuio.
Successit res: sed Mascus optato carens,
Cura exsternatus tenuit jejunio mori. —
Quid est sperandum, lectores, de tempore,
Ursi quo sunt amore potiores viris?

XXII. JUDEX NASUTUS.

Praeibat ipsum se nasi promuscide
Judex utriusque juris consultissimus.
— Ave, propterea, nase! — dicebant, prius
Quam totus esset in conspectu vir fori.
Sed ille risu modicam contumeliam
Facile rependens: — indagator maximus,
Clamabat, adsto cujuscumque pessimi.
Abite, excedite, evadite, et erumpite,
Rabulae vos, excusantes omne pessimum. —

XXIII. NUX ET MUS.

Felis anhelabat circumscribere circulo
Altius egressum murem quam foret sibi
Scandere: nux intercessit; et esca perdidit
Gulosum. — Caveant gutture temerarii!

XXIIII. PUTEUS.

Puteus patebat inter oppidula duo
Communis haustus: saepe sed discordia
Turbabat symphreatidas, et post jurgia,
Exercitabat odiis immortalibus.
Aversionis hujus apud nos advena
Judex, et censor — timeo, dixit, prosperae
Diuturnitati unius regni, ac patriae. —

XXV. AVUS ET NEPOTES.

Turba nepotûm circumseptus ad focum
Avus, eos monitis instituebat optimis
Circa mores et studia, ostendens quomodo
Eodem ab igne paginae fiant cinis,
Quantumvis lucubratae magnis vigiliis,
Limus durescat continenter aridus;
Leviter admota medium sed cera teneat
Formanda mirabilibus tractanti modis.

Ergo docilitas magnis viribus ingenii
Praestat: quia se fingendum praeceptoribus
Dum dedit, in flammam nec praeceps evanuit,
Nec obstinatum sterile proventus fuit.

XXVI. VIR PIENTISSIMUS.

Uri religione sacrum est, et venerabile.
Urantur omnes est optandum, nec ideo
Tenendum, quia non omnium est divinitus
Amare. Qui sollicitos fervore, et prece
Calumniantur a superstitionibus,
Videant, ne facinus faciant adversus Fidem.
Superstitio nam nubes est mysterii.

XXVII. INDI.

Duo principales aderant inter Indicos,
Sacrorum custos alter, et alter hosticus
Militia (quod ab eorum discere est libris)
Suum colentes unusquisque praestitem
E multiformi natione numinum.
Ars erat amborum temperare se via
Potestatis, ut conscia fortitudinis
Foris videretur, et intus domesticae
Cultrix pietatis rebus esset in omnibus.
Mos hic si peregrinis una cum mercibus
Ad nos migrâsset utilis sapientiae
Dociles ex institutis naturalibus,
Minore versaremur in periculo
Perdendi singula tristi pertinacia
Confusionis, dum spe stringimus omnia.

XXVIII. SUBTILITAS IN SUPERVACUIS.

Ludere latronum praelia nostri temporis
Peritus heros quaerebat quem vinceret,
Nec a quo vinceretur per latrunculos
Facile ferebat, et habebat despectui.

Nihilominus adulantes, ipsum prospera
Sorte frui dicebant. — Talos, et tesseras,
Ait ille, relinquo vobis. Ita loquentibus.
Fortunae vos favorem merito vertitis
Desiderantibus altiora se viris;
Domi forisque sed ego invictus ab hostibus
Fortunae debeo minus, ingenio magis. —

XXVIIII. AGRICOLA ET REGULUS.

Indignabundus erga talpam incommodum
Satis superque, agricola subterraneis
Sulcis hunc intercipere voluit sarculo,
Et fecit, coram rusticante regulo.
— Sic oh! sic possent apices regum sistere
Fumum vaporis inarantis provincias,
Ait ille, mole vectibus rotatili. —
Mirum est, sed non humanum quod praetervolat,
Simul et receptum subruit pacem statu,
Fugans ab Orbe utroque quiete vivere.

XXX. THALES.

Puteum nil cavit, astra dum notat Thales.
Quid? inde puteos omnes siquis obstrui
Jussisset rex inaudita tyrannide. —
Abusum tollite, sustinete quod juvat,
Nedum tyranni, populorum sed arbitri
Vos, qui sedere bono jactatis publico.

XXXI. ΙΧΘΥΣ.

Piscem trahebant sesquipedalem duo
Concordes simul in hoc, ut haberent cibum,
Cetera discordes, sicut felis, et canis.
Validior superincubuit arte, et viribus,
Priusquam et praedam raperet, ambos sustulit,
Pedibusque calcans — *acta res haec est* — ait.
Convenit ad quosdam nostra in praesens fabula.

XXXII. DEMENTIA.

Domus hospitalis sanandis dementibus
Patebat: ratus hospitium hic esse pauperum
Quidam vir locuples liberalis, et pius
Intravit, ut singillatim stipem daret.
Unus sed eorum ait: — Nemo pecuniae
Inhiat ex nobis: hoc stultitiae sed genus
Per angiportus, et theatra tollitur,
Quae dant emunctos nummis, et eos pharmaco
Laboris uti cogunt adversus famem. —
Certe convaluit talia qui locutus est,
Inter dementes sapiens et agit, tempore
Quo furit exterius congregata insania.

XXXIII. PAPILIO, GRYLLUS, ET SIMIUS.

Papilio niveus, et gryllus nigerrimus
Ejusdem caveae moerebant angustiis:
Lactuca viridis tamen erat solatio.
It ad fenestram, heri deliciae, simius,
Et inde caveam pendulam, formidine
Utriusque captivi, malignus aperuit.
Alius volatu, saltu praeceps et alius
Tunc abeunt, frustra reclamante simio.
Sic trepida veritas exit ab astutia
Colore proprio virtutis, sive vitii,
Ut caelum inveniat, latebras aut intret soli,
Judicio historiae nescientis ambitum.

XXXIIII. VIVERRA ET CUNICULI.

Cuniculorum mater enixa catulos
Timebat illis a viverrae dentibus.
Adfuit hostilis indole mustelae soror
Utero laborans. — Parce! ait puerpera,
Parens futura breviter eo periculo,
Eoque amore matris erga parvulos. —
Viverra abstinuit: in exemplum volentium
Vivere alieni de ruina culminis.

xxxv. MUSCARIUM.

Muscas abigebat importunas regiis
Dapibus mensarum puer: invasit strenuus
A lingua criticus — Mitte servilis operae
Curam: debentur his libantibus omnia,
Postquam digesta sint et terrae dedita.
Patet in immensum ditio muscarum. Vale —
Exclusus mensis certe Momus hic erat.
Muscarum par est criticorum molestia.

xxxvi. SUES ET TAURUS.

Sagina pasti mortem ignorabant sues
Breviter futuram. Taurus distulit irruens,
Sed non avertit excidium pinguedinis. —
Furor usurarum properat hunc ad exitum.

xxxvii. MUSIMONES ET EQUI.

Duo musimones procedebant sarcinis
Utrinque paribus varie formati vitri.
Equorum imprudens agitator supervenit
A tergo, et studio libertatis in via
Stimulat onustos merce, quia nil fragilius.
Gradatim euntes tunc cepere citatius
Ferri: sic et succussus mercem perdidit.
Si vellent homines aliquando subsistere
Naturae obsequio, nitide curando sua,
Alienis et, eorum quae sunt, permittere,
Is, qui *progressus* dicitur, haberet modum
Inter diversos moribus, et sensu, sine
Virorum offensione, et rerum injuria.

xxxviii. OVES ET LANIO.

Ibant macello destinatae plurimae
Oves, sine capro duce: mactator adfuit
Ne parceret, balantes una sed simul,

Sic occupabant lamentationibus,
Dubitaret ut delectu quales tangeret.
Lupus improvisus irruit: obstans sed moram
Huic facere dum vult lanio, evadunt singulae
Fuga meliores, quae tunc essent quaestui;
Genibus infirmum male defenditur et pecus.
Impietas ipsa fit ridenda, dum stupet.

XXXVIIII. CANIS ET PETULANS.

Canis ad latus domini sedebat essedo
Importunus latratu praetereuntibus.
Quidam incitavit, faceret ut vehementius:
Canis rictu dehiscens tunc infrendere
Dentibus ex ira, rapiente sed ab essedo,
Injussu domini, breviter placatus fuit. —
Injuriosi plures avertentibus
Debent quod valeant, et vivant, inutilem
Post provocationum pervicaciam.
Ideo prudentior qui sit, ad silentium
Redit, invitatus verborum in certamine.

XXXX. LYRISTES ET TIBICEN.

Lyristes, et tibicen dissimiles sono
Sese praestabant observantes temporis;
Ideo conveniebant ad acroamata.
Sic pax est a concordia discrepantium,
Pudori obtemperante conscientia:
Sed mors est pacis bellum in omnes omnium.

XXXXI. DISCOBOLUS ET PATRUUS.

Discum rotando puer intemperantius
Oblectabatur, ad physicum qui debuit
Conferre se loquentem de meatibus
Caeli, signisque stellarum micantibus.
Patruus enixe orabat, ut desisteret
A ludo; nec deesset officio scholae.

— Noli putare, puer ait, me seria
Dimittere studiorum, dum solatio
Magis indulgere videor, quam sit proprium.
Cogito de Sole ac Luna sic rotantibus,
De circulo dierum, de spectaculo
Nocturno syderum pariter et labentium:
De monade Leibniti, quin et Chartesii
Vorticibus: nec *systema* me Copernici
Fallit memoria nec Galilaeus, nec atomi
Cujuscumque notae, aut ponderis, mi patrue.
Poli utriusque cogito de vertigine,
De grandine, de comoetis, denique de globis,
Nefas! ex vomitu tormentorum ardentibus,
Serunt qui mortem militum per agmina,
Rusticus ut milium per campos serotinum.
Omnia feruntur in gyrum: nec turbinis
In praesens hominum capita sunt immunia. —
  Obstupuit patruus tot nominibus illico
Auditis: arbitratus et in nepote se
Habere jam philosophum, heredem condidit
Testamento in scriptis clauso, postridie
Ejus diei, coram septem testibus.

XXXXII. ARIES ET VERVEX.

Aries agebat inter oves lascivius
Adeo, ut egeret saepe pastoris pedo,
Ullius ut compos fieret continentiae.
Virgulta dente secans, terens et hordea
Vervex agebat placide, curando cutem.
Hunc deridere quieta prae libidine
Suscepit aries. — Facile fervore careo,
Quo tu macrescis: — vervex dicto reposuit:
  Interius uri nam non est calefieri.

XXXXIII. CAPER ET HAEDI.

Haedi nobilitari petebant a capro,
Et cognitione augeri: dux sed cornibus

Arietando dicebat: — haec est optima
Cognitionum, impetere quidquid fit obvium —
Olidum quod est, amplius optabant perdere,
Odore immisso. — Sustinete repellere
Hircino, barbam et pascere. Sic agunt sophi
Opinione varii, foetore similes.
Hi multa disserunt, multa et docent: ego
Vestrae quod est naturae doceo, *carpere*. —
Mensari sic heredes praeparant sibi,
Qui pullulant ut gramen inexpugnabile,
Postquam lex obsolevit sumptuaria,
Luxus et invasit, fenore cum socio, domos.

XXXXIIII. ACUS, FILUM, ET ANUS.

Dissentiebat acus a filo, nescio
Qua futilitate justae praecedentiae.
Anus intercessit, et judicio dispares
Sic conciliavit. — Tute, filum, si tibi
Agas permissum quid ligando vix potes:
Acus, et tu sola quid pungendo vix potes.
Omnia consuere vestrum est sed concordia
Operae. — Quod valet ambobus, valet et singulis
Hominum, ne moniti sibi praesumant unice:
Conjunctione nam consistit civitas
Virium et ingenii rebus in communibus.

XXXXV. AGASO ET PRESBYTER.

Homo distinebat a se poenitentiam
Scelerum, nec aerumnosus arrogantiam
Pravae ponebat indolis, et superbiam,
Quia patienter agere nunquam didicit.
Propterea voce balatronum per oppida,
Per et viarum salebras, et juga montium
Inter agasones audiebat *maximus*.
Hunc excruciatum morbo, et morti proximum
Mansuetarius animarum tandem presbyter
Monendo sic redegit ad frugem bonam.

— Heus! qui mulorum, et asinorum per aspera
Genus agitabas, recta ut pergerent via
Caedendo graviter, humilem te subternere
Flagello ne moreris optantis Dei
Ducere salutis te per iter ad gloriam. —
In verbo conquievit hoc vir improbus,
Vitam concludens exitu (spes est) pio.

XXXXVI. ANTONIUS SANCTITATE VETUS.

Pater monachorum legifer dum Antonius
Longo deserta tractu lustrabat loca,
Mirantem invenit se, qui nullis litteris
Haberi posset consulendus, ut suis,
Sic imperanti Constantino per dies
Eos errore contristatos Arii.
— Haereo naturae libris, ait Antonius,
Apertis ubicumque spatium libidinum
Immune pateat, mentem et praesens impleat
Revelata Patris virtus in Christo Deo,
Operum et suorum serie; quae considerans
Silentium nil differt a sapientia. —

XXXXVII. SACRILEGIUM.

Sunt hominum quaedam capita, jure similia
Quae dixeris praeruptae solitudinis
Montium, inaccesso latere, ne dum vertice.
Huc intus errant rivuli subtilibus
Venis deducti viscerum ex origine
Interiorum vi propulsante fontium, ut
Erumpant latices, integrantes flumina.
Edita discursu flumina sed cornu petunt;
Ita et poetae: nam in malos creberrimi
Flagello sunt, et vigilant ad templi fores,
Pernox adversus impios custodia.
Licet profanos insanire periculo
Capitis, et rerum; sed vestibulum tangere
Sacrarum caveant insolenter aedium!
Mors est domorum templi desolatio.

XXXXVII. REUS AD SUPPLICIUM.

Fune trahebatur ad supplicium, debitus
Morti, criminis atrocis reus in patruo.
Petiit videre matrem: mater adfuit.
Huic ille iratus dentibus nasum eruit,
Mentitus osculum discedentis ab ea;
Dictis et in ipsum sic invectus. — Heu parens,
Noverca mihi blandimentis teterrima!
Huc tua me nimia compulit indulgentia;
Corripere quae debebas acriter manu,
Et lingua, mortis ne subirem infamiam,
Hoc exitu facinorum infelicissimo. —
  Huic speculo matres applicent fideliter
Oculos, et mentem, ne poeniteat serius
Eas habuisse similis filios notae.

XXXXVIII. HOMO.

Inter creata rerum missus est homo,
Ceu canis, ut odoraret, nec quidquam tangeret.
Ali petebat nihilominus; et impius
Poterat videri, si quid optásset, gula.
Abundantes sed cumulo partus undique
Circumvenerunt arborum, et animalium
Sic, ut constaret quasi sepulto corpore
Divini Conditoris vir in imagine.
Amor tunc vitae innatus consilium dedit
Belli ineundi. Quare salute pro sua
Fructus invasit dentibus, et animalium
Contaminavit se caedibus. Idem tenet
Nunc regnum; aequales nec habet, sed subest Deo.
  Sic facta vis est jus, et mors necessitas.

L. PAX.

Capit immortalem aetas nostra memoriam Thaec
A mortibus, instrumenta militarium
Quae copiarum perficit, expeditius
Iter ut ad Orcum sit, praeceps et millibus

Centenis hominum. Pacis id abstinentia
Fit, dum pax celebri sonat ubique nomine
Quolibet in coetu, scriptis, ore et civium.
Ejusdem tempestiva sed, diutius
Quam dici queat, exspectanda est maturitas.
Vanescunt nempe sonitu vocis pleraque
Conventu ventilata disputantium,
Mox dilaceranda studiis vulgarium.
Gaudent effectu condita sub silentio:
Nam radix rerum, et operum arescit edita,
Importunis rumoribus ut respublica.

LI. *DELENDA CARTHAGO.*

Vox ea Catonis in senatu quae fuit
De Carthagine delenda, pertinaciam
Alebat dum propositi, quidnam postea
Esset futurum, se celabat, et Patres.
Agere ex invidia non est equidem arbitrio
Agere justitiae: breviter et operum patet
Iniquitas aerumnis subsequentibus.
Deleta sed Carthago novorum vivere
Hominum receptis rursus tenet astutiis:
Tunc pugna recrudescit honesti, et utilis,
Immortalis et est odio decertantium
Rei detrimento publicae, jam nec bono.

LII. ADOLESCENTES ET SENEX.

Quidam adolescentes aliqua vi prudentiae
Ibant per urbem rebus instructissimam,
Quae pertinent ad vitam luxu splendidam,
Contemplantes quot pereant insignes domus
Nulla frugalitate sumptuosius
Agendo: interrogabant propterea senem,
Qui dixit: — una est domuum clades omnium
Minimo labore, aut meritis fieri compotes
Hereditatûm, census et praedivitis,
Indulgere libidinibus, spe praesumere
Majora partis, oblimari fenore,

Æquam calumniando parsimoniam
Nomine avaritiae. Tunc divertitur a Deo,
Surdis auribus ad pauperum convicia,
Qui se queruntur non habere quod famem
Melius levaret miserae prolis, et suam.
Ita praeparantur tempestates clam fori,
Sit ut bonorum tandem aliquando aequatio.
Juste fortuna rapuit, nisi juste dedit. —

LIII. CURIOSUS.

Homo curiosus appetebat auribus
Portae applicatis quo solet foramine
Clavis adhiberi, scire quid negotii
Foret hero, et famulae nuper ingressae domum.
Nullis indiciis introrsum fit impetus
In portam vehemens, improviso quae patens
Ejus sic laesit nasum, erupto sanguine
Palam admisisse ut testaretur, neminem
Quod decet, et in famulatu maximum est nefas.

LIIII. DUO CAPITALIA.

Oleum lucerna exuberans lumen necat,
Negatum, quem non creat, item non adjicit
Splendorem rebus, ad earum spectaculum.
Ideo praesente sub fortuna strenue
Age, repellendo quod sit nimium, simplici
Prospiciens a virtute temperantiae
Tibi tuisque, quae fit scala per gradus
Ad paupertatem tolerandam viriliter,
Ubi capillitio sors ipsam se subtrahat.

LV. FEMINA.

Qui philosophorum nomine feruntur hodie
Viri praelustres, evexisse jactitant
Se masculorum ad dignitatem feminas.
Magnum est: easdem sed quod respicit viros
Tractare, quae nescirent arma tangere;

In capite statui, quae deberent ad latus,
Exasperatos et mollire gratia,
Metu compescere violandi limina
Gynecaei cum curis re domesticis,
Instinctu pacis, atque consuetudine
(Amare potius quam timere quas docet
Leges ex instituto matrimonii)
Totum hoc causas accumulat in contrarium
Tantae novitatis: ne fiat praepostera
Eventus gratulatio mirabilis
Paratu, sed naturae minus idonei.
Ego aestimator feminarum ab indole
Laudo pudicas, arrogantes negligo.

LVI. NATURA RERUM.

Parentis qui naturae scrutantur sinum,
Et ejus indagando tentant intima,
Quaerant ubi consistant! ne facundia
Circa secreta partu se contaminet
Doctrina, mutet et intellectum malitia.
Brevis est ab imo ad Tartarum descensio,
Ubi praecipitium confundit voragine
Oblivionis omnes arrogantiae
Modos, et formas infideles exitu.
Ideo philosophi celebres pueris invident
Denique nescire quae sunt infra; nec redit
Fides, si curiosos deseruit semel.
Jesus discipulos docuit hoc etiam suos;
Iter ad caeleste regnum nam superbia
Ignorat, et innocentia pueri sciunt.

LVII. BELLUM.

Gerenda sunt pro pace bella: sed quis est
Qui de justitia belli det sententiam?
Deus auctor Orbis, et hominum consortii
Sudare jussit, otiari nec sinit,
Suborta sulcis ne contaminet sata
Labes vitiorum, ceu genus serpentium.

Congeries scelerum, licito quae quidquid libet
Antetulit, sola est justi causa praelii;
Sed non et belli diuturna discordia.
Migrent ad arva domiti vi vacantia,
Fiant coloni destinatis finibus
Communione qua nihil expeditius
Est hodie, pacis in labore floridae.
Deus emendavit naturae violentiam
Lége salutari reparabilis impendio
Curarum panis in sudore frontium,
Longe retectis spatiis agrorum, fretis
Rapide transmissis, servitute perdita.

LVIII. VIATOR ET BAJULUS.

Quidam peregrinus ab Helvetiae jugis
Amoeniores venit ad Italiae plagas
Solo praepingues, et vinetis fertiles.
Ingressus urbes hinc celebratissimas
Ædificiorum mole, et rerum copia,
Sed more profligato civium, impia
Jactari verba sensit in numen Dei,
Ejusque Matris, obvia consuetudine.
— Impune fit hoc apud vos? — dixit bajulo
Ejus gestanti sarcinam. — Libere agitur: —
Respondit ille caecus ab arrogantia.
Peregrinus locorum tunc felicium
Tepore caeli, et ubertate fructuum,
Invectus est in hominem hac contumelia.
— Canes ingrati nutrientibus! manum
Vos largitoris vere mordetis Dei. —
Ecce hic quomodo nos vincti vitiis, vincimur,
Metù perempto legis a licentia.

LVIIII. LIBERTAS ET ÆQUALITAS.

Quae tandem est Libertatis soror Æqualitas?
Ea quae pervolitat nomine receptissimo
Loca, principalis chartis et praescribitur.
Natura gestat geminos, nec parit pares,

Utcumque similes faciat a capite ad pedes.
Major ab ingenio, ac viribus, et magis intima
In coetu singulorum fit dissensio:
Inest sed cuique maxima mente, et pectore,
Huic et medentur prudens ratio, vinculum
Civile, denique Crux, onus patientiae!
Viget libertas circumsepta legibus,
Religione socia: tamen ut aequalitas
Officiorum compede possit probabilis
Videri, fallit spem convictus civium
Habentes inter, non habentes et rei
Quod sit commune privatim vel publice.
Littera sic lex fit, et crimen possessio.
Tertius invadens tunc acinace dirimit
Certamen, et humi adfligit quos servos facit,
Ut in sudore frontium bene vivere
Reparent: agricolae male nam cogitant nihil.

LX. AQUILA ET OSTREA.

Omnis modesta si vir diligentia
Humanitati tribueret quod est suum,
In mare scientiae praecipites Icaros
Minus haberemus, et inesset prudentia
Scriptoribus, quae regeret raptos impetu.
Aquila sublimem nubibus intulit ostream,
Inde ut devexam frangeret; apertam et sibi
Tolleret, edendum bolum stomachi nobilis.
Monitum quapropter, lector, te multum volo,
Mirabilia suspiciens, imitandum quod est
Sane, ceu filum Ariadneum; ne deseras.
Te separato nam sic a consortibus
Viae, vitaeque, sterile fiet litteris
Pensum, quod exigendum tradidit tibi,
Exemplo ut esses subsequentibus, Deus.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

FABULARUM LIBER XII.

AD CONSTANTINUM DE TISCHENDORF v. cl.

TISCHENDORF, alta mente qui spectas polum,
Rerumque divinarum doctrina potens,
Ad unguem exactos summa diligentia,
Simul eruditione litteris pari,
Remotae das antiquitatis codices,
Tuae prodit libellus in spem gratiae
Extremus, qui te vult honore prosequi,
Et dedicatis exornare versibus
Hic, si voluntas memor et grata quid potest.
  Omnes tenemur Bibliis, ut anchora,
Disciplinarum ne flat naufragium.
Fides probatur castigato examine;
Ratione praevalente sed divertitur
A caecitate, quae corona flt spei,
Si parvulorum nos evadere sit pares,
In Christi verbis, exemplo et imitabili.
  Ideo sunt scopuli, quos vitare fert opus.
Opinione sustentetur quod virûm
Commentis obstinata, et studiis partium:
Quod vi consistat, nec tueri se velit
Amore summum: pariat quod miracula,
Humanitatis praeter usum et ordinem:
Quod belli scelus anteferat innocentiae
Pacis: luxurie sumptuosum quod domos
Mutare tendat, funditus et pervertere:
Fandi et nefandi quod sperare judicem
Deum interdicat in ore alterius seculi,
Infert abysso designatos per fidem
Vivere divinis consecratam Bibliis.
  At vos admoneo, pueri, quicumque dabilis

Operam quibusque rebus, haec pericula
Perditionis ut in stadio terrestris viae
Semper caveatis, veritatem hanc unicam
Compendio habentes totius scientiae.

PROLOGUS.

Quaecumque fiunt veritati proxima
Commenta, finem saepe eludunt utilem
Humanae societatis inter dispares
Indole naturae, et nervis ad potentiam.
Hos tamen aequales faciet, post stadium breve,
Pace sepulcrorum mors matura levamine.
Qui spem futuri minuunt insolentia
Loquacitatis, habeant, quae toties sibi
Mala imprecantur, exitu cum pessimo!
I, puer, et hoc tuere te narthecio,
Ne sanitatem amittas mente, et corpore.
Quantumvis rationis pertinacia
Graviter iniqui se gerant discordia
Opinionum, pietatem ne desere!
Illud salutare Dei quod portenditur,
Est Christus, vita legis exempli fide,
Et veritas, inconcussa Cruce radicitus.

FABULATOR AD LECTOREM.

Audio, te fieri fabularum copia
Fastidiosum, lector. Hic sunt fercula
Secundae mensae, nobile post convivium
Philosophorum, acriter qui de praestantia
Opinionum disputare nil timent,
Reginam earum dum virtutem negligunt.
Tu sapiens supra numerum, finem respice:
Flores ut areas, vivis ut aeger senex
Cortice rugoso sustentatus impleas
Annorum seriem, minima consonantia
Eventus cum spe, votis semper inanibus.
Deduc te vita, medicabile ceu pharmaco.

Discidium sit animae, et protervi corporis.
Sume hinc quod remedi tibi stet in compendium.
Si vera sum locutus, emenda malos
Mores; si falsa, corrige me temerarium.

I. EPICURUS ET SCHOLA.

Miratus est Fabricius valde, a Thessalo
Cinea postquam audivit, Athenis vivere
Quemdam docentem servire voluptatibus.
Harum in servitio summum ponere et bonum.
Curius, et Coruncanius hoc a memoria
Philosophorum relaxatae miraculum
Doctrinae, ac vitae optabant, ut Samnitibus,
Et ipsi Pyrrho notum, persuasum et foret,
Quo vitiis indulgentes, mutarent fidem
Virtutis, facile subjugandi mox simul.
  Desiderata jamdiu fit calamitas
Hodie ruinis cognita, quae premit malos,
A cathedris ut deturbet pestilentiae,
Det et contritos, ceu frumentum sub mola.
Tale quid in quemnam caderet, sic posse breviter
Consummari sic valide, sic et funditus,
Ætatis ut gallicinium quasi sit novae?
Scimus, spectamus, contemplamur, et angimur;
Nec tamen audemus declinare de via
Perditionis, et a progressu desistere
Doctrinae, quae nos vermium ad putredinem
Ocyus adductos, quam naturae sors ferat,
Originum novitate confundat Chao.

II. AD PRODICUM.

Senex doctrina illustris vita illustrior
Salutantes habebat multos obviam,
Sed ignorabat qui vel quales hi forent.
Admonitus ille ut officium rependeret
Quibusdam ignotis (ambulabat nam immemor
Civilis usus) protulit hanc sententiam:

— Tria vivis hominum sunt ubique tempora;
Pueri nam nos nec noscimur, nec noscimus:
Ast adolescentes noscimus, et vix noscimur.
Gravamur annis, tunc et innotescimus,
Ignorantes eundo quibus occurritur. —
Te nisi saluto, Prodice, ne succenseas,
Parce sed aetati! quae me contrahit oculis,
Fortasse meritis teque exaggerat tibi.

III. ROSSINIUS ET TIBIA.

Vallis reductae personabat in angulo
Inter pastores aliquot biforis tibia
Sub imminentis lunae liquido sydere.
Omnia tacebant, praeter aquae volubilis
Vim, quae tenoris murmure fundabat melos.
Notavit puer, irrepsit et Rossinius
Per hunc fere meatum in regna Musices,
Ab artis veteris emicaret ut situ
Magisterio naturae princeps omnium. —
Mirum est, Fabricio illustris antea domus
Russiniorum (sic amabant scribere
Cotiniolano cogniti de stipite),
Avito stemmate quod lusciniam praeferat
Rosae insistentem, augurio praedicabili.

IIII. COMICUS SENEX.

Plures commenta intulerunt de Rossinio
Lyrae magistro, conditore vel novo,
Vel obsoletae instauratore musices.
Calumniari quidam et ausi sunt eum,
Movere saxa numeris qui posset suis,
Silex et immisericors esset pectore.
Ea balatronum vox invaluit, nomini
Infesta noto, Sol ubicumque radiis
Illustrat Orbem, Nox ubicumque et civium
Coetus nocturna convocat ad spectacula.
Ego admirari solitus conterraneum,

Combibere et auribus ineffabiles sonos
Coram malignis nescio conticescere,
Nec mihi fas duco: sic enim desiderat
Vetus amicitia vel post cineres vivida.
  Plerumque, posse qui desperant vincere
Sublime ingenium supra captum, vel fidem
Summis et imis communem mortalium,
Multum latrantes ejus ad sculponeas,
Vestigant, talos laedere si morsu queant.
Sic positam turrim fluminis oblimant aquae
Semper inutiliter, namque mole stat sua,
Ridet frementes, ridet et tumidas simul.
  An qui naturam prope redimere debuit
Ab artificiis depravantibus ambitu
Melos divinum afflatu; jucundum modis,
Ut a theatris cantus delectatio
Eliminaret somnum infusum naeniis;
An hic vacare officiis etiam debuit
Civilibus, vel potuit in discrimine
Opinionum inter se confligentium,
Belli pacisque rebus incertissimis?
Valeant! quicumque talem et tantum carpere
Mordaces audent dentibus elusi canes;
Quaerant et alio quod se porrigat minus
Hoc osse durum defixis confringere.
  Ætas revertetur inimica malitiae
Obliterantis omnes excellentias,
Demersa fundo misere ut jaceant omnia:
Tunc expeditus et nebula Rossinius
Replebit ora, habebit laudes omnium,
Rursus et invidiam luce confundet sua.

V. MUSCA ET CRABRO.

Crabrone musca delectata compare
Succubuit obstrepenti prae summa fame.
  Fugiat incauta femina vulgares procos!

VI.

CUCULUS.

Iners, et ineptus cuculus inter alites
Nidis alienis ova deponit sua,
Nobilibus ut se iactet incubantibus
Avium de numero, nec labore se terat.
Scriptores inter hodiernos sunt plurimi
Qui delectentur curas, et incommodum
Limae deferre patientibus: id optimo
Quod fit delectu passim, nec fide pari,
Sic otiosi vanitate nam tument.
Scriptorum varium genus est: in praesens legi
Sunt qui contendant; sunt qui distineant idem
Illud non explicabili vigilantia,
More Sybillarum, maneant ut apud posteros
Bene castigatis cum libellis carminum.
Eorum sed sunt ulli qui possint legi,
Ulli etiam debeant, vivendi ut libere
Cognita sit ars, nec impedita vinculis
Opinionum Veritatis hostium.
His medius censor faveat praestolantibus
Perenne nomen a iustitia temporis
Post se futuri: sibimet permittat alios
Maturitate insanientes gloriae.
Praecox nam fama carpitur ab aequalibus;
Nec vacat invidia, nisi qui vivat mortuus.

VII.

THESAURUS ET BOVES.

Stabat thesaurus in boum praesepio
Occultus. Advenere qui ligonibus
Depositum latrocinii defossum darent
Sub noctem mediam. Tunc mugire sed boves,
Totamque rusticorum misceri domum
Metu rapinae. Fit concursus ad locum,
Fuga latronum, praevalentibus aliis,
Boum qui gratia, potiuntur edito. —
Minima de causis eveniens, ad inscios,
Nec exspectantes transfert quae sunt munera

Sinistra sortis. Facinus conscientiam
Gravat, et dat alas pedibus infusus timor.

VIII. ULYSSES ET ADOLESCENS.

Quidam adolescens coram Laërtis filio
Maleparta dicebat adeo perhorrescere,
Eisdem ut anteferret ire perditum.
— Convenit aetati scilicet hoc isti tuae,
Ulysses tunc reposuit: par sententia
Pubescentibus et annis adrisit mihi.
Dedit ingenuitas sed prudentiae locum,
Omnibus in rebus hic ut innotesceret,
Verbo, non opere dirigi negotia,
Quae desideratos educantur ad exitus. —
Ludos puerorum tollit adolescentia:
Amores juvenum subvertit virilitas:
Virorum ambitio in senium fit placabilis.
Sic indoles mutatur; et nulla est fides
Ubi experientia summo consistit gradu.

VIIII. TROCHUS ET TURBO.

Trochus rotatus valide, torto turbinem
Sub verbere, recta dum properat, male afficit,
Fortiter et ictum gyro dejicit a suo.
Quidam notavit, ut moneret, apud pares
Viam secare subita vi, quam ceteris
Possit nocere. Civilis consortii
Natura haec est, ut alter debeat alteri
Servire officio. Lex capit jus omnium,
Officia singulorum ratio dirigit,
Quae dum transit in habitum, *mos* audit *publicus*.

X. HIBISCUM ET ARUNDINES.

Hibiscum molle texendis idoneum
Fiscellis rusticarum exercebat manus
Interdiu puellarum sub pergula.

Invidit illi arundinetum proximum
Freniendo. Accepit sensum, et una virginum
— Induite, dixit, aliquam lentitudinem,
Palustre genus, agendo vos demissius,
Sic instrumentum ut evadatis utile. —
— Negat natura. — Tunc accessit villicus,
Arundines et caesas a radicibus
Fecit quadrifidas ferro, ut flexiles forent.
Comes est invidiae saepius superbia,
Quae non recusat quidquid facere et perpeti
Vel adversus naturam, dummodo superet.

XI. SCOLOPENDRA, STELLIO, ET RUSTICUS.

Laesus ab octipede scolopendra dum quaeritat
Modum remedii seminudus rusticus,
Incidit in stellionem, aestate maxima,
Qui duplicavit ei vulnus, et periculum.
Tunc ad lyristem subiit se traducere,
Mederi talibus edito qui scit sono,
Tenuit et saltitando quid levaminis:
Per omnem vitam paralyticus at exstitit.
Incauti plures libris a recentibus
Referunt legendo velut ictus serpentium,
Migrantes vice perpetua ab uno ad alterum.
Risu concluditur res plerumque, sed agit
Interius pestis omnem laetitiam fugans,
Moerore, et angore miseros quae conficit.

XII. NOCTUA, HIRUNDO, ET GALERITA.

Breves edere volatus solita noctua,
Quisnam putàsset? provocavit hirundinem.
Determinari cum re tempus, judice
Galerita, debebat. Hirundo — spondeo
Ad experimentum alarum mane me novo,
Dixit, venturam. — Ego tenebrarum sed egeo.
Ait noctua. — Mihi commoda est meridies —
Galerita profatur conventu tertia.

Quaeque repugnabat, in rerum praesentia
Enixe contestando naturae suae
Necessitatem. Sic conveniens nemini
Tempus stultitiae noctuam redarguit.
Quicumque excultis floruere litteris
Bene judicantur tempori adfixi suo.
Odio est eorum inter se comparatio.

XIII. TAURUS ET JUVENCA.

Taurum laniones frustra junctis viribus
Trahere ad macellum conabantur anxii.
Tunc aliqui cogitàrunt antecedere,
Juvencam agentes huic desiderabilem:
Sic insperatae mortis et inivit viam
Minime placatus antea violentia.
Periculosum est cito, vel temere credere,
Humilis exemplo tauri amore perditi.

XIIII. BUBO ET RANAE.

Gutture sustentans aliquo intervallo sonum
Bubo dolebat multitudine sic premi
Coaxantûm, sua vox ut iret perdita.
Una sed earum protulit a stagno caput,
Ut declararet se, consortes et suas
Posse importunas esse cantionibus,
Sed non ferales audientibus. Stetit
Ales, et obstupuit tunc curax silentii.
Fabula poëtis est notanda, quae notat
Ex instituto anxiferos, et tragoediis
Ita luctuosos per theatra, mediocrem
Donare venia praestet ut comoediam.

XV. REMEX ET PUERPERA.

Necessitatûm maxima divitias parit.
Remex addictus operae Benacum super
Phaselum agebat: mulier hic utero gravis

A viduitate locupletis connubii,
Brevi labore geminos in lucem edidit.
Sic insolenti casu remex arbiter,
Et vas salutis utriusque sarcinae,
Ita se probavit diligentem, ac prosperum
Eventu, mulier solum ut conscium rei
Consortem optaret, atque haberet alterum
Humili de gente juvenem, magno animo sibi.

XVI. VENATOR ET COTURNICES.

Mane coturnices summo venari pater
Trepidus agebat cum sequace filio.
— Pede tacitus procede, linguam contine,
Fili, dicebat: incruento fit dolo:
Nam posita haec res est omnis in silentio;
Neque vi proficere esset. — Equidem penuria
Loquacitatis maturantur res novae.

XVII. ERROR ET FUROR.

Errore peccant homines, et furore sunt
Pares animalium. A ratione recedere
Sed pejus, quam carere, est matris origine
Naturae, prudens quae nos admonet fuga
Periculorum nil tentare quod levet
Reginae auctoritatem conscientiae.
Utcumque heróas comprobent pericula,
Bene superatis salebris, et obstaculis,
In se recedit, coram ipsis, humanitas.
Sic limax redit ad propriae tutelam domus,
Iter institutum siqua suspicio mali
Intercipit, et tardigradae dat causam morae.
Omnes famae rumores post victoriam
Vulgaribus receptam ab insolentia,
Pax vincit pretio, freta moribus bonis.

XVIII. PLEBS ET VIR CONSULARIS.

Apud plebejos intercedens pacifer
Demirabatur consularis vir notae,
Quod minimi fieret gestu, voce, pondere
Auctoritatis, desperatus ab omnibus
Sic, ut sibi prospicere deberet fuga,
Et in latrinis quaerere propugnaculum.
Haec est quorumdam temporum prosperitas,
Libertas ubi divertit ad licentiam.
Consulto gemma nunquam inducitur luto:
Imprudens id qui faciat, merito spernitur.

XVIIII. ALES FAMELICUS.

Habebat ales unde sibi prae ceteris
Gauderet, esca milii quottidie data;
Tamen adpetebat alienam. Supervenit
Hinc inde qui majore rostro tolleret,
Omnes vagantes faceret et propter cibum.
Fabula declarat, invadentem proxima
Exemplo praevalere detestabili,
Ut inquieta diruat aemulatio
Pacem civilis ordinis, et rerum statum,
Jactura singulorum, opprobrio sui.
Canorae veritatis nec me depudet
Minimi momenti homuncionem, nemini
Servire solitum prae salute publica.

XX. CICERO ET APOLLONIUS.

Molonis filius aderat Apollonius
Ubi declamabat princeps Cicero copiae.
Laudabant plures, hic moerebat invidus.
Moleste id ferre Cicero: sed Apollonius
Talibus occurrit: — Ego quidem cum ceteris
Facio, tuam miratus eloquentiam.
Tamen expilata misereri de Graecia
Coram te, Marce Tulli, succurrit mihi.

Eloquium, et eruditio nam quae suae
Fuerunt argumenta praeminentiae,
In Romanorum transtulisti tu penu,
Grajos ut superarent hac etiam gloria. —
Pulcrum est dare operam Graecis aliquam litteris;
Dignum est Latinas colere, et intus cognitas
Habere: nam duo continent amplissima,
Rei salutem in libertate publicae,
Et majestatem culminis imperatorii.

XXI. MUSCA ET VERMES.

Laedebat musca vermes a cadavere
Disseminatos per regnum putredinis,
Inultos insimulabat et impotentiae
Huc illuc pervagata, semper et evolans. —
Sunt circulatores, poëtas quos forum
Celebrat, favore ac plausu circumstantium.
Ea musca quanti sint, vel quales exprimit
Inter mirantes facile similes vermium.

XXII. CANCER, LEO, VIRGO, LIBRA, SCORPIUS.

Scorpius et Cancer decertabant ictibus
Nescio qua lite circa limites domus,
Caelo qui constant partibus justis minus.
Virgo intercessit Libra, justitiae metu
Ambos placare instituens spe praepostera.
Leo supervenit, bicipitem et utrumque pedibus
Calcavit graviter, nec contrivit, viverent
Infirmi ut viribus in pace necessaria. —
Biceps sic regitur civitas vi, non metu,
Ubi deridetur scripta legum auctoritas.

XXIII. FELIS, CATULUS, ET MUS.

Dominus alebat aliqua diligentia
Felem et catellum contubernales domi.
Stabat mus ex adverso patiens carceris

Oculis ardentibus, candidus et in pilis,
Quales circumferuntur ad spectaculum
Peregrinitatis, atque mansuetudinis.
Absente domino, cogitavit hostium
Par helluonum bolo tam raro frui;
Valide queis icta cavea bis, ter, et quater
Dissolvit se, refixis filis ferreis.
Amborum tunc aviditas concursu patet;
Mox indoles naturae aversa fert eos
Fremere, et incendi torva tuentes invicem
Unius individui qui praesumerent
Hinc inde partem. Trepidanter sed ille mus
Oculis ardentibus, in pilis et candidus
Evadens, tecti emicuit in fastigio,
Vacuos et praeda sibi reliquit aemulos. —
  Voluntas in diversis eadem, quae pari
Sit appetitu, voluptatem distinet,
Aut etiam eludit, hujus ut in re fabulae.

XXIIII. ANTISOPHISTES.

Apella luscus ex ingenio temporis
Nactus cathedram qua consisteret novus
Doctor discipulis, peregrinae scientiae
Res proponebat, vetus et omne quod schola
Staret inolescens, pulsabat calumniis.
Interrogatus qua spe facinus fecerit
Contra institutum humanitatis, haec ait.
— Sua est cujusque aetatis in studiis via:
Brevior ad metam melior est ad gloriam.
Ego nec cathedra possideri jam volo;
Sed possidere cathedram. Jubeo me sequi,
Alis qui valeant: jaceat haerescens pede
Quicumque meo dubitat in verbo tendere,
Doctrina pernox ubi naturae vim facit
Progressu rapido, servitute nec jugi
Disciplinarum ingrata lentitudine. —
  Sic a lycaeis exeunt miracula
Exemplis indomabilis arrogantiae,
Moribus, ut litteris, et perit humanitas.

XXV.

RUPES ET PISCES.

Rupes immota videbat pisces aequore
Circa se varios quasi choreas ducere,
Desideravit et moveri, propriae
Deficiens a naturae primaevo statu.
Obstupuit Proteus, muti qui custos gregis
Ait: — Facis hoc argute, jam nec serio.
An irridere fluctibus te poenitet,
Quos das refractos mole consistens tua?
Si piscis fieres, multitudo aut piscium,
Ventorum, et undae tu ludibrium fores. —
Haud aliter sunt monendi plures ordinis
In urbe summi, quos auctoritas vetus
Vulgo secernit, ejus et involvi luto,
Ac sordibus non dubitant contubernii.

XXVI.

ORATOR ET RHETOR.

Orator affirmabat, se nunquam loqui
Diserte posse sine multis praesentibus;
Celebritati serviebat nam suae.
— Placere paucis praestat aestimantibus
Meritum doctrinae: — dixit rhetor inscius
Pronunciationis, sed paratior
Disciplinarum studiis cum modestia.
Quodcumque corpus umbram projicit suam,
Quas inter clari fit jactura nominis,
Opinionum pugna inevitabili.
Sic oratorum plurima est successio,
Eorum sed propagine brevis memoria.

XXVII.

SICARIUS ET FUR.

Stabant in eadem poenitentiae mora
Sicarius manifestus testimonio, et
Fur maximis indiciis, sed nulla fide
Videntis in occulto qualia patraverit.
Inde innocentem se dicebat, judices

Et insimulabat iniqua de sententia.
Ex hoc sumebant animum similes qui sui,
Lavernae sub tutela vellent vivere.
  Peccatur hodie contra conscientiam,
Contraque leges destitutas vindice,
Pudore nullo, et laude contumaciae.
Juridici conventus quia nôsse singuli
Singula non possunt, patrocinio sistitur
Reus absolvendus, suffragantibus arbitris
Vel imperitia, vel misericordia.
Perfricta fronte impunis ille perambulat
Forum, et tabernas: turba nil cavet nefas;
Putat et licere, fieri culpae conscios,
Dummodo non constet, secum adductis testibus.

XXVII. SERPENS ET VULPES.

Prudentis gaudens nomine serpens venerat
Ad offam cantu magico: vulpes intulit
Se mediam, obducens natibus et cauda cibum,
Proposuitque lapidem, quo laesus dentibus
Serpens dum queritur, vulpes obversa capite
Offam subripuit, sibi prospexit et fuga.
  Astuti sic inculcant se prudentibus.

XXVIII. CRUX ET DRACONES.

Imaginibus draconum urbis per angulos
Cujusque positis ore formidabili
A foeditate deterrere quemlibet
Veteres solebant, qui pararet mingere.
Nunc Crux officio deputatur huic, locis
Omnibus occurrens prava consuetudine.
  Sic exsecratum minime differt a sacro;
Eo processit et morum subversio,
Utrumque ut uno confundantur nomine:
Sed lotium profani non valent suum.

XXX. SOMNUS ET MORS.

Momentum somni quis novit? quis impedit
Quominus irrepat tacitus, et omnem praegravet
Sensum vitalem cum sequace inertia
Corporis, et virium? Impetratus hic fugit,
Adest injussus, ratione nihil edita.
Imago mortis est: tamen praetervolat
Somnus; inolescens mors opus omne destruit
Formae fugacis, et dat escam vermibus.
Eadem invocata multis infelicibus
Moratur adventare, et aerumnas fovet:
Non exspectata immemores finis occupat,
Palam defossae condat ut terrae sinu.
Ergo libertas pacis, quae supereminet
Omnes a strepitu libertates cognitas,
Quaerenda est extra vitam: nam manet foris,
Revicturis ab obitu, ut pars sit gloriae.

XXXI. PODAGER ET MEDICUS.

Dives laborans podagra intemperantius
Agit apud se: medicum sed adduci jubet,
Illico qui causam tollat aegritudinis,
Nam prae dolore stellas cernere dictitat.
— Stellarum una est, quae capiti portendit tuo
Pessima malorum cum morte necessaria,
(Ait medicus) ni praesto sit jejunium
Magisterio salutis a capite ad pedes. —

XXXII. CALIX ET DISCIPULI.

Calix in medio circumstantium fuit,
Haberent urnae quem versatilis loco,
Ibi conferentes discipulorum nomina
Ad decernandas uni primas in schola,
Æquales inter studiis et merito pares.
Sors extulit quem ceteri optabant magis,
Ni sibi faveret singillatim; plausibus

Quapropter exceperunt hunc concordibus.
Modestus ille in tanta, ut ajunt, gloria,
Coram judicibus — cedo, dixit ultimo,
Quem det depromptum sortionis alea. —
Hac temperantiae vi schola sic floruit,
Extremum ut rediisse puderet mox neminem.

XXXIII. CANIS AD TUBERES.

Canis odoratu praestans it secus aggerem
Tuberibus persequendis instante domino,
Indagine qui valebat antea leporum,
Et avium perseverans in vestigiis.
Tunc sibi dolendo propria de sagacia
Dicentem audivi: — Cogor ad officium suis,
Nec quod eam sic demissus, et agam gnaviter
Unguibus et rictu, mihi quid melius comparo. —
Humilitas in servitio ipsa haec est ingeni,
Vilia dum tractat, etiam si nitescere
Nequeant, nec ideo grata mercede fruitur,
Ferruginosae aetatis ut morem gerat.

XXXIIII. VANNUS ET PRAECEPTOR.

Inest judicii species in vanno, rei
Qui rusticae pars est, sed inter ultimas
Usu, et labore. Quatit agitator strenuus
Hordea, minutis paleis vento datis,
Quidquid et infestat gravius, effundens solo.
Praeceptor. improvisus hac imagine
Lamentantes cöercuit per atria
Gymnasi pueros, matres et eorum simul,
Inepti studiis quia sint exules scholae. —
Date operam rastris, et ligonibus, manu
Praestantes vos! natura quos fecit leves
Ingenio, vel sic duros, ut capiat nihil. —

XXXV. CAPER ET POPAE.

Caper immolatus sub secespita popas
Fuga fefellit. Hunc deberi Libero

Nemo putavit aggressorem vitium.
Fides Lyaei destituta vigiliis.
Eo declinavit inde ab hac socordia,
Ipsos racemos carpant impune ut capri.

XXXVI. DISCIPLINAE RELAXATIO.

Festivitas vernilis cum licentia
Eo processit apud veteres, ut integrum
Habere mensem vellet anno quolibet,
Perpetuae servitutis in solatium.
Excogitata tunc subtiliter, et modis
Haud inficetis coram prolata domino,
Quasi retegebant quales dimissos manu
De grege servorum libertati traderet
Ingenii meritis, atque perspicaciae.
Nemo notavit, esset sed imitabilis
Annalis haec in pueris experientia,
Quae disciplinae praevaleret in scholis
Per constitutos impetrabiles dies.
Spondeo magistris expeditius id fore
Ad cognoscendum qua sint mente singuli
Discipulorum, quibus et ingenii viribus;
Praecedant ut cornuti, exemplo et utili
Trahant capellas, et ovium post se pecus,
Minimo labore vigilantis custodiae,
Semper ut immota cardine sit auctoritas.

XXXVII. ~~NAUTILUS~~ Polypus ET PINNA.

~~Nautilus~~ Polypus ab hoste sospes esse dum studet,
Stetit apud pinnam, quae recipiens hunc domi
Nunquam exspectâsset hospitem habere perfidum,
Rependeret qui caede misericordiam.
Rabies habendi mores humanos dedit.
Sic efferatos usu proditorio,
Ut sint qui laudent utile fratricidium.

XXXVII. QUERCUS EXCISA.

Dum secularis quercus icta securibus
Efflaret gemitu quidquid virium foret
Adhuc superstes sub rugoso cortice,
Adstabant aestimantes quanti veneat.
Ea postquam jacuit detruncata vertice
Fortibus et ramis, intulit vicinia,
Morae vix patiens, se lignandi gratia,
Quaesito jure, ut ajunt, in re perdita.
Sic ubi potentis unquam corruunt opes,
Domus et antiqua fenore ruinam trahit,
Reliquias a luxurie vulgus colligit.

XXXVIIII. ALEATOR ET ASINUS.

Dives qui fuerat vir nudatus alea
Maris relliquias suscepit proscindere
Aratro, prae pauperie junxit et asinum.
Hunc delirantem vitio sed stirpis suae
Ille admonebat fuste persaepe graviter.
Tandem etiam melior monitor erupit asinus:
— Ulysses hoc labore visus est semel
Insanus aliis, tu sed es, me compare.
Cessare praestat ambos: namque me sciunt
Omnes indoctum sulcos edere, nesciunt
Et te ferocem, rebus perditum ut sciant.
Dimitte me quapropter, et te comprime,
Tecum ut reductus aliter consulas tibi. —

XXXX. MERETRIX ET MATRONA.

Plerumque meretrix a matrona nil habet
Quo differat, si vestis sit habenda ratio:
Ejus fucata sed facies inluminat
Absentiam pudoris, qui vindex sedet
Fronte et oculis matronalis praestantiae.
Adolescentes quapropter vos monitos volo,
Ut eligatis declinare de via,

Quotiescumque sit offendere more perditas
Mulieres, ita notandas impudentia.

XXXXI. VILICUS ET INSTITOR.

Sedebat eruditus infortunio
Vir captiosus in negotiis fori,
Sero quem sapere fecit poenitentia
Vilicus advenit; usuris salientibus
Ponere inescatus aliquam vim pecuniae
(Nam pertinebant proxime ad centesimas).
— Cave promissis grandia! dixit institor:
Qui terrae insistis, immobilium fidito
Rerum gravitati. Levitatem sed utilis
Quandoque lucri, semper et aestimabilis
A paupertate civium, et rebus datis
Pessum, his permitte, qui, carent dum patria,
Urbe innotescunt per gentes cognomine. —

XXXXII. ASINUS VOLANS.

Tentare quod volatu sit mirabile,
Vel cum ruina fit, vel id risum movet.
Reste trahebatur asinus ad culmen tholi,
Inde ut demissus alis adscititiis
Videretur volare multitudini.
Nodo resoluto sed praecipitavit asinus
Cum damno, et risu: sic et utrumque tenuit.
— Inter poëtas quot eo utuntur Pegaso!

XXXXIII. ASINUS AD LYRAM.

Gemebat asinus ad Parnassi regiam
Auritus exul adfixus radicibus
Montis. Eum conspicatus ab alto Pegasus
Dorso vacantem (namque Silenus aberat)
Se superimposuit huic devexus corpore, et
Totum occupavit. Tunc ruditu se dedit
Asinus timendum: fit in aula Parnassidum.

Motus; et hinc missus est filius Uraniae
Ad imum, qui referret quid novi foret.
Redux ait, Pegasum depugnâsse cum asino,
Hunc et subactum sic inaniter queri.
— Sed mater prae sororibus — quid erunt minae,
Dixit, asini, si questus sunt hujusmodi? —
Quare posuerunt assumptum ad latus lyrae,
Monitor qui deterreret uti nescios,
Dum prae futuris diligunt praesentia;
Pro veritatis libero praeconio
Adulari suscipiunt et pecunia.

XXXXIIII. IRIS ET PARELIUM.

Heroes quia dissentiunt ab ordine
Humanitatis, ut sint admirabiles,
Non sunt ad usum convictus domestici.
Nemo parelium grave sustinet oculis:
Iris sed a colorum continentia
Recreat, offensione nulla sensuum,
Et pacem auspiciis parturit felicibus.

XXXXV. PILEUS ET AQUILA.

Cum fascibus et securibus in medio fori
Sublimis arbor pileato vertice
Stabat in opprobrium exsecratae tyrannidis.
Aquila purpureo nil colore territa
Rostro corripuit pileum, et egit altius
Quam quis videre posset lynceus oculis.
Fuit qui despiciens admoneret: — Heus! viri,
Æquare jura qui paratis civibus,
Insigne vestrum quaeso, cur sic tollitis,
Omnes ut facile vincat altitudines,
Odio quam habetis, aquilae ut sit propior? —
Libertas in viminibus demissa est magis;
Ideoque nunquam detruncata fit minor
Capite, quaecumque vento sit violentia.
Haeret libertas virtutum radicibus:

Apex ubicumque fomes est superbiae;
Servire vitiis jam nec est libere agere.

XXXXVI. VIOLA ET VACINIUM.

Superimminente viola de vacinio
Paris coloris semel est visa conqueri
Latis sub foliis semiclusa cespitis.
Consolaturus eam dixit juvenculus,
— Odor pudoris tecum habitat: hinc negligunt
Legentes ejus floris altitudinem,
Te persequuntur studiis, quam desiderant
In humilitate suavitatis consciam. —
Parcant efferre se, custodes et sui
Puellae sint! exemplis nec superbiae
Fiant in urbe circa se vigiles minus.

XXXXVII. BARBARIES ET IMPIETAS.

Sunt fines operum pariter et subtilium
Opinionum; sed earum procacior
Est ratio: vis nam rebus imperat exitum,
Opiniones quae plerumque exasperat.
Deus ergo intersit arbiter! quandoquidem
Bellum, et ruinas parturit obstinatio.
Impius heu! fit qui sic alat superbiam
Mentis, eam ut non dimittat ad pedes Dei.
Tunc barbaries exseritur in contrarium,
Flagello ut laesae majestatis irruat,
Penitus deletis hostibus et reseminet
Eventu quod civile fiet prospero
Nova progenies a restitutis legibus.
Sic per barbariem revirescit spes optimi.

XXXXVIII. DISPAR GENUS.

Æquales omnes piscatoris filia
Dote antecellens placuit pulcritudine
Praefecto classis, ac orae maritimae.

Origo sed servilis erat obstaculo
Sibi despondenti nuptias. Ille hanc liberam
Ut faceret, statuit omnino vacuam bonis:
Ea sed deserta tunc praeripuit se fuga,
Formae ne fleret alterum naufragium.
Mox reflorescet alibi dote, et gratia.

XXXXVIIII. SORS CONJUGALIS.

Ea laus a veteri pluribus est cognomine,
Hujus ut in verbo statuantur connubia
Plerumque inauspicato, et spe praepostera.
Pater instigatus ab importuna conjuge
Illustri ut genero destinaret filiam,
— In hoc timeo (respondit) effoetum genus
Desuetudine virtutum singularium
Officiente nimia majorum gloria. —

L. ANULUS ET PISCATORES.

Scapha biremi soliti circumvertere
Piscantes ulli se per oram littoris
Conchá interceptum susceperunt anulum
Satis explicati sub tentamine pretii.
Lis orta est: in quem cecidit sed sortitio
Ita praegravari sensit eo se munere,
Secum ut insomnis ageret semper, et anxius.
Ideo suspendit scopulis hoc donarium,
Ut Panopea, germanarum vel aliqua
Nereo prognata forte recipiat suum,
Securitatem et ille vacuus auream.
Paupertas cum labore quam sapit magis
Sorte improvisa! paucis aestimantibus
Quanti sit pax in vita, jam nec otium.

LI. CANCER ET TORPEDO.

Obliqua tendens cancer, in torpedinem
Incidit, electri liquidi praepotentia

Reformidatam piscibus, ac testaceis.
Biceps sed ille minimi duxit indolem
Ejus fulmineam; potuit qui divertere,
Tulit et incursu fieri semimortuum. —
  Habemus hodie confligentes dispari
Natura, temeritatis eodem et exitu.

LII. MYRICAE ET JUNCI.

Myricae steriles incurvari nesciae
Confertim cogitârunt de re juncea
Longe lateque per paludem didita
Plane exstirpanda, vi fecere et ullibi:
Palus sed alebat obstinatius suam,
Infirmabat et humore audaces aggredi
Contra jus succrescentem multitudinem.
  Fabula narratur conjuratis fortibus
Humiles exterminare praevalentia:
Nam major in debilibus esse copia
Solet foeturae: quod si possent assequi
Usquam unquam fortes, ut periret funditus,
Ipsi continuo se destruerent invicem.

LIII. FONS ET PAGUS.

Ire inscientes, alii quam monstrant, viam
Tutius est, solos quam tentare quod novum
Possit videri prospera experientia.
  Pagus apud collem fontis aquis illimibus
Gaudebat obsignati, ne quis invidus
Mutaret haustum limite saluberrimum:
Ideo celebrabatur ostentu sacer.
Venit trabali terebra qui feriens solum
Aquae beneficium amplificandum diceret
Puteo saliente scatebris a reconditis.
Tunc aruit ex invento fons: et copia
Salubritatem perdidit palustribus
Contaminata venis, in contagium
Pagi, qui felix fuerat antea, modice
Aqua erogata quemlibet in usum domus.

LIIII.

LUPI ET OVILE.

Luporum globus ovile facile pervium
Ingressus, abstinenti tentavit fame
Quid impetrare pecoris a custodia,
Direptione videretur ut inde facere
Aut jure, aut juris specie, vi novissima.
Responsum exivit, canibus adlatrantibus:
— Ignobili non esset in victoria
Scelus injustitiae minus a conniventia,
Accederet documento si patientiae. —

LV.

POENITENTIA.

Exercitata scrapta contuberniis
Cujusque permolentis ad fastidium,
Deserta formae munere, et adulantibus,
Venit ad tribunal serae poenitentiae.
Plures ridebant. — Quid ridetis, impii? —
Judex reponit sacer: — an non et Magdalis
Dilexit multum, multos post amasios?
Multum sed illud, in salutem quod fuit,
Habitu mutato cecidit in dignissimum.
Ideo quae se resumpsit a libidinum
Diuturna per pericula praevalentia,
Divinam, amoris merito, retulit gratiam. —

LVI.

MULIER ET PROCI.

Sagacitatis numeros in muliercula
Non invenire vigiles dicebant proci
Foribus exclusi, nec delectu liberi.
Omnes perfusos gelida mulier denique
Dedit e fenestra, spe dejiciens singulos.
Agentes vi sese plerumque sic habent.
Derisione plectitur insolentia.

LVII.

SCARABAEUS ET ROSA.

Rosa scarabaeum necat odore: sic cadunt
Insidiae coram numeris innocentiae,

Vel si succumbat: etenim sancta nomine
Fit, suffragatur ejus et splendoribus
Calumniator perditus nequitia.

LVII. SOL ET VIRTUS.

Obscura rerum illustrat, simul ac exserit
Se Sol, confundens et tenebris lucida
Mane renascente sydera, sororis suae
Globum nitentem cogit erubescere.
Quid est quod inde veritatis colligat
Cultor fidelis, indagator et intimus,
Ut sibi prospiciat per vicissitudines
Vitae multiplices? Æstimare maximi
Virtutis libertatem, minimi cetera
Habere: nec proximitas ipsa sanguine
Obstet magnanimis, praecedente Regulo.

LVIII. LIBERTAS ET LICENTIA.

Circumsistebant juvenes provectum senem
Aetate in annos octoginta, floruit
Qui conclamatae libertatis tempore
Trans alpes a Francigenis omnium egentibus,
Etiam bracarum, fortunata audacia.
Ab eo petebant constipati discere
Tandem quid esset re, sic trita nomine
Vel dos, vel virtus semper in suspiriis
Et votis exspectantium, nunquam in bonis.
— Hamus est (ait ille) veteratorum qui manu
Trahit ad servitium dominos incautos nimis,
Vel imperitos innatare fluctibus
Maris inquieti. — Magno sic periculo
Syrtis libertas, gurges est licentia.

LX. CALUMNIA.

Calumniari, novitas est volentium
Sibi comparare ex odio quod quis possidet
Vel dote ingenii, vel fortunae munere.

Hi celebri perfidia vulnus dirigunt
Linguae, vel calami; quod siquando remedii
Vi consuatur, ignominiae non deest
Testis cicatrix indelebilis loco.

LXI. SENEX AD FOCUM.

Quidam canutus senior servabat focum:
Ibant exterius juvenes compressa globis
Nive se frequenter impetentes invicem.
Venit ad fenestram incautus, ut reprênderet
Molestos a clamoribus, et periculo
Vitreae tutelae defendentis frigora,
Ictum et excepit buccis inflatus gravem.
Quantumvis id fortuito factum dicere
Quis possit, est prudentis, se silentio
Tueri coram insanis, et dare tempori
Spatium cavendo, detonet quo nubium
Tumor, et procaces damno resipiscant suo.

DE FINE FABULARUM.

An unquam flet finis hisce fabulis,
Culices quas appellare liceat temporis,
Immurmurantes auribus, et aculeo
Acriter infestas gregibus aeque ac regibus?
Quocumque nomine sint habendae, munere
Honestae libertatis se functas sciunt
Ingenio, et opera posteris probabili.
Chirurgus immisericors confert utiles
Plerumque curas confidentibus sibi.
Ego fabularum non infelix conditor,
Contage sensus qui laborant intimi,
Nisi reluctantes sint, ut revalescant, ago.
Id nisi succedat, eas adhuc dissemino
Meae voluntatis in memoriam, proxime
Ut guttas olei per diluvium, perfidae
Aetatis inevitabile sub naufragium.

APPENDIX.

I. HOMO PACIS.

Quid sit pace frui, plures nescire videntur,
  Exterius positam namque tenere putant.
Qui sapit, aedificat sibi pacem corde sub imo,
  Ut radice tenax, usque serenus agat.

II. MELEAGRIDES.

Cristatae breviter, pennis stellantibus albo,
  Ore revertentis saepe capace soni,
Ceperunt nostris Meleagrides esse receptae
  Urbe et agro, quamquam vi, strepituque graves.
His ego femineum conferrem vulgus earum,
  Quae jus perpetuae garrulitatis habent;
Cumque mora officii careant cujusque, videntur
  Omnia complecti semper hiante gula.

III. PEREGRINITAS.

Gens nova, gallinae cum gallis more gigantûm,
  Adstat ab externis cis mare vecta plagis.
Mirantur plures, queis sunt nostratia nauci,
  Et curam veteris deseruere chori.
Interea nova gens Auroram rauca salutat
  Qua voce audiri bufo per uda solet.
Quid grave gallinae crocitant, pullique resultant
  Ex ovis qua vi dissecat unda fretum.
Invadunt sata, nec parcunt, ubicumque sit esca,
  Unguibus ac rostris, perniciemque trahunt.
Non ideo minus est in honore aliena propago:
  Cedite, gallinae, stirps Patavina, meae.
Me tamen exstincto, patriis discedite ab oris,
  Vivere qui videor vestra per ova mihi.

IIII. ROSA.

Quae volitatis, aves, flores ne tangite nostros:
  Plurimus hic habitat vertice gratus odor.
Est rosa, sunt comites, mediis quibus illa videtur
  Regina optari, quin et amanda coli.

Adjuvat hanc splendore color captante favorem
  Omnibus a pueris, virginibusque simul.
Nos sumus e numero, nos advigilamus eidem,
  Ne capiat damni quid redolente coma.
Vae! si decidua est, vel eum demittit honorem,
  Quo gaudebat apud septa decenter hians.
Quare vos moneo, procul hinc estote, volucres!
  Nam capite, aut alis vos male habere foret.

V. PHILOMELA ET HIRUNDO.

Dum queritur philomela sub arbore, trissat hirundo
  Culmine sub tecti, rus habitantque meum.
Ingenio dolor est peracutus, et audet in illis
  Fingere fortunae quod sit imago malae.
Hinc ego moesta sequor, luctus interprete versu,
  Conjuge dum careo, pignoribusque meis.
Quid sit amare data, et raptis adhibere querelam
  Semper inutiliter, sentio, nosco, scio,
Carmine et interdum fateor. Juvat esse poëtam
  Hoc uno: res est nam diuturna dolor,
Arte exercendae vitae meliorque magister,
  Quam sit laetitiae vox, hilarisque sonus.

VI. OVES ET CAPRI.

Imberbes laudantur oves: ab origine compos
  Barbae capripedum sordet ubique genus.
Vellere molle pecus placet, hirsutumque pilorum
  Vi minus in pretio est, namque potenter olet.
Sed nunc ire capros quis crederet ante receptos
  Molle pecus? generis nec gravis obstat odor.

VII. FELIS ET CANIS.

Saepe diu mecum versavi, gratia quare
  Esse comes felis, nec velit esse canis.
Indiciis sincera fides se prodit apertis,
  Blanditiis nec eget, ut videatur amans.
Sunt amor atque fides in eadem luce locati,
  Alter et alterius prosperitate viget.
In tenebris exercetur crudeliter illud
  Muribus horrendum, mortiferumque genus.

Felis adulando praeit, et blanditur, atrocem
Ne dicat, siquis nocte patrata sciat. —
Hypocritae sic prospiciunt sibi melle loquendi
Post occulta dolis, et truculenta mala.

VIII. ANSERES ET CYCNUS.

Anseribus mediis olor insanire canendo
Dum vult, a strepitu perditus intrat aquas;
Et quamvis collo editior sit, sospes ut iret,
Occultare caput debuit amne fugax. —
Immolat ingenium sibi se; dum servit, eundo
In laudes procerum, fert opibusque mori.

VIIII. MACTRA.

Nomine mactra feror, quia do magis aucta farinae
Pondera, commixtis convenienter aquis.
Dives inexhausto quare sum facta lucello
Arcula pistorum semper alenda foro,
Donec sint fures pistorum laude bonorum,
Queis instrumentum sit malesuada fames.

X. TRICLINIUM.

Qua duo discumbunt mensa, tibi posse videtur
Tertius adveniens accumulare famem,
Inde ut tres redeant sedati quisque palato,
Et stomacho, donec sit nova sole dies.
Non ego sed tecum facio, qui posse juvari
Lampade tres una nosco, scio, video
Vespere, vel plures. Res improvisa caninis
Dentibus hic agitur, nec sibi quisque deest.
Tertius invadens, spatiis exclusus iniquis
Saepe resurgentis sentiet orsa famis.

XI. HOROLOGIUM DONO DATUM.

Machinula excutiens horam, partesque minutas
Ejus, ab indicii mobilitate duplex,
Sit, studiose puer, tibi dono, ut norma vacandi
Edita stet pensis, officiisque scholae.
Multa premunt, diversa trahunt, novitate recepta
Disciplinarum, multiplicante faces.

Rebus ab obscuris sed multiplicantur et umbrae,
Queis sit in incerto ponere saepe pedes.
Disce, puer, momenta oculis expendere, cautus
Ire per omne satum, nec piger esse gradu.

XII. AMARYLLIS ET GALATEA.

Fert Amaryllis acum, filum Galatea recusat,
Huc illuc fugiens antevolatque parem.
Illa sequi frustra tandem indignata: — carere
Sic possis semper (dixit) iniqua, viro. —

XIII. DE MENGALDO.

Mengaldum in specula positum super arce, legendo
Pervigil invenit dux vigilare libro.
Hunc ratus esse malum, pestemque pudoris habere
Infusam chartis: — pessime! te tenui,
Exclamat; da quem videam. — Dedit ille jubenti,
Ostenditque simul quale volumen erat.
Obstupuit rigidus dux, et quaesitor in ipso,
Quem Taciti historias novit habere manu.
Centurionem ideo facit esse, deinde tribunum
Hunc, qui militiae nunc grege summa tenet.

XIIII. AD VOLUTINUM.

Perge, Volutine, et numeris impende latinis
Omnem operam! spes hic nomine fida latet.
Ne dubita: praesente tui mercede carebis
Carminis. Hoc de te praecipe judicium
Vivus adhuc: sed posteritas magis aequa sepulto
Te, quia rarus eras tempore, tollet humo.
Pensa tua exemplo proponet ab ore docentûm,
Quid simile ut pubes condat adulta scholis.
Quod si deficiat spes haec fortasse superba,
Non ideo meriti distineare fide.
Accumulare pyram sibi gaudet aromate phoenix;
Praecinit exequiis cycnus et ipse suis.
Nil pete quod non sit vita immortale. Laborum
Fine salutari, crede, repensus eris.

XV. PAUPER ACCUSATOR, DIVES EXCUSATOR.

ACCUSATOR erat pauper, sed dives agebat
  Excusatoris munus et officium.
Multa dolet pauper, regerit convicia dives:
  Concursu vulgi fervet utrumque latus.
Tandem aliquando merum (quo passim incenditur ira)
  Intercedit; apud pax rata fitque scyphos. —
Sobrietate relegata dum cuncta fatiscunt,
  Plebs et eques fato fertur ad ima pari.

XVI. MONS CENISIUS.

/+ ARS terebravit inter longum: natura recepit
  Debellata sinu vulnera, visa mori.
Saxa per et latices redivivos obstitit illa
  Nequidquam expertis omnia posse viris,
Per tenebras ut eant, redeantque rotata vapore
  Carpenta, obstrepitent visceribusque suis.
Transadigit genus humanum, transmittit et ipsum
  Se, quo naturam vincere mente fuit.
Attamen attonitus dispendia magna viator
  Corde ~~refert~~, sensum vi perimente pium.
Arietat in portas cordis grave pegma, feritque
  Interius quod adhuc nos monet esse homines
Vallibus atque jugis divisos officiorum
  Virtute utilium, spe moderante vices:
Spe, nec jam luxus rabie mutabilis extra
  Fas omne, et fines inter honesta datos.
Naturae violare locis arcana sepultis
  Mirum est: non ideo desinit esse scelus.
Sanguinis, et rixae invento sitis exit ab auro.
  Nunquam impune fuit vi via facta lucris.

XVII. FERVOR PHOTOGRAPHICUS.

SOL brevibus chartis cohibet natura quod effert,
  Omnia mirifica restituitque fide.
Vim sed adulantûm patiens virtute colorum
  Sol caligantes res, hominesque facit.
Indita fuligo, et facilis praesentia formae
  Artis, et ingenii sunt prope supplicium.

Nam nullis operae meritis fert machina verum;
  Et sensus veri sub ratione perit.

XVIII. PALMA.

Quem bona respiciat fortuna, videtur in Orbe
  Hic dignus magnis rebus, et imperio.
Fac teneat, sedeatque rota sublimis; eadem
  Declinante cadet, praecipitante ruet.
Pauper serpit humi, quandoque intrare coactus
  Ipse informe lutum, divitibusque premi.
Conciliare solum sibi curis tunc amat ille,
  Cultor et esse spei, quae sub aratra latet.
Quod nisi sic faveat sors, ut det habere, sepulto
  Semine fundatum, quo bene possit ali,
Parcendo manibus nil cessat, ut otia spernat,
  In stadio vitae nec videatur iners.
Nescia sic flecti sub pondere palma resistit,
  Ut sit in exemplum, duritiemque probet.
Testis martyrii palma est, magis edita lauro,
  Esse triumphalis quae sine caede nequit.
Interiore illic moderamine comprimit iram
  Laesus homo fastu, temperat atque sibi
Ante locupletes; nec, si sapit, invidet ipsis.
  Mox quadrigam animi sensibus oppositi
Torquet ab indignis rebusque, opibusque vocari
  Felices: etenim cura superstes obest,
Judicioque vetat fraudari vera sinistro.
  Dives pervigilat nocte, sibique timet.
Pauper homo pacis, libertatisque sub umbra
  Securos somnos (si patienter agat)
Ducit, et antevolat spe quod caeleste futurum est,
  Aeternum et regno, post data pensa Crucis.
Argumenta cano virtute retrita ferendi,
  Viva labore tamen, nec peritura fide.

XVIIII. INVIDIA.

Vallibus invidia est peregrina, et suspicit illos,
  Insignes meritis qui tenuere juga.
Saepe intercedunt nebulae, quibus abdita frustra
  Exacuit dentes, nec minus ipsa latrat.

Interea rident sublimes äere puro,
  Non secus ac stolidos Luna retecta canes.
Ergo nec invidiam timeat, nec agatur ab illa
  Transversum scriptor temporis ira sui.
Ira sed erumpens nimbo plerumque serenum
  Praeparat, ut caelo sic et in orbe virûm;
Solem justitiae super et peccata reducit,
  Quae caveant vivi temporis alterius,
Inveniantque viam, qua desoivere priores
  Jactura rerum, pernicieque sui.

XX. POST OBITUM.

Si quando moriar; mors est prope namque futura,
  Dum me lustra premunt quattuor atque decem,
Nulla dari mihi verba volo sub pegma feretri,
  Cum thure et precibus circumeunte choro.
Forte canorus eram pulvis, dum vita manebat,
  Mutus et exsanguis tunc ferar esse cinis:
Aut esse, aut fieri breviter sub pondere terrae.
  Hanc optate levem! nil mihi posco magis.
Spiritus ad Superos (spes est) se tollet in alis,
  Exul et humanae conditionis erit,
Angelus ut fiat, sua post bene pensa soluta,
  Si procul a Satana mente procace fui,
Atque superborum vitans consortia, semper
  Esse humilem studui, spemque fovere fide.

FINIS.

EMENDANDA.

Pag. 23 *v.* 12 extitisse *corr.* evenisse.
„ 24 „ 13 laborans „ sed laborans.
„ 67 „ 29 ut sit „ sit ut iste.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

CIVIS ROMANI

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

FABULARUM.

PARS ALTERA.



FOROCORNELII
EX OFFICINA GALEATIANA
A.° MDCCCLXXIII.

Sumptibus Auctoris.

SERENITATI

REIPUBLICAE MARINENSIS,

ET EJUS CONSULIBUS,

VIRISQUE CONSULARIBUS.

Venio ad vos extremo labore, summi custodes antiqui nominis in Republica sobrietatis vestrae. Quidquid lusi, quidquid compactum dedi senariis et elegis (quod satis superque videri jam possit) eo consilio feci, ut disciplina moralis per lucubratiunculas plerumque breves adolescentium animis instillata, incuriosae aetatis nequitiam emendaret. Non sum nescius quanto stet occurrere commentis adversantium opinionum, in studium, ac tutelam Divinae Veritatis. Ego vero infracto pectore odia ejusdem omnia libens volens in me suscipio; haud immemor, fabulis politicis utili temeritate usum fuisse etiam Acestoridam (de quo Photius in Bibl. Cl. IV.), cujus libros aemulatione quadam doctrinae persecuti sunt Conon, Apollodorus, Nicolaus; easque ex recensione Alexandri philosophi, Protagoras Democriti discipulus exposuit.

Quicumque hodie originibus verborum, item et rerum retegendis dant operam, doctrina progredi dum profitentur, manifesto regressu se fallunt. Prodeunt enim exsiccati et aridi ab exercitatione pertinacis ingenii: dumque radices arboris inquirunt, earumque fibras expendunt, arborem ipsam miserabili diligentia interficiunt.

Nemo eorum qui sanctum et solemne habent minime desciscere ab institutis veterum in re litteraria, nemo, inquam, sic inops animi fuit, ut, quem natura recipit, progressum in communi hominum vita detrectaret. Spirant adhuc exempla virorum, quos virtus, honor, laus a studiis imitabilibus posuerunt in culmine secularis gloriae. Horum est, in rebus omnibus progressu vigere, nunquam declinantes a recti via. Nempe hic videtur esse progressus, de quo Cicero loquitur (Tusc. I, 31.) « Veniet tempus et quidem celeriter: et sive retractabis, sive properabis, invitus progredieris. » Nec tamen hoc est dare se tempori, sed ex tempore sumere consilium maturae progressionis.

Nihilominus multa in praesens naturae judiciis obstant, ne vetus sapientia intercedat arbitrio, resque retro sublapsas salutari medicina reficiat. Ecquid enim ponderis est in dignitate atque auctoritate Latini nominis? quae gratia, quae fides institutis majorum? Accesserunt minuti philosophi

ad rempublicam studiosi novitatum, fautores opinionum, somniis dediti, quorum opera non solum in administrationem negotiorum, verum etiam in significationem scientiae per litteras infusa est peregrinitas. Phantasma grammaticum irrepsit in locum politioris humanitatis, omnesque ingeniorum igniculos a natura datos, arrogantia, et segnitia pari, molitur extinguere.

Stoici tribuebant poëtis auctoritatem: qui tamen reipublicae Platonis exules habebantur. Aliud enim erat, numeris, quod jus esset exponere, de officiis admonere cum ornamento virtutum singularium, aliud versari in gestione rerum communium, justitiam tueri, eamque tum publica, tum privata utilitate conservare. Amabantur rhetores ab arte, aestimabantur a doctrina grammatici haud raro scutica metuendi. Utrinque stabat auctoritas, minori apud rhetores austeritate.

Quintilianum quis ignorat quali solertia, quanta doctrina praeditum, qua cognitione naturae in adolescentibus erudiendis atque excolendis? Idem ipse sententiam de alumnis disciplinae suae in haec verba proferebat. « Illa in pueris natura minimum spei « dederit in qua ingenium judicio praesumitur. » (Inst. II. 4.) Praecox etenim judicium officit ingenio; ferme ut umbra juniperi solet esse recubanti gravis.

Nunc vero, inversa ratione, vis judicii in pueris

habetur pro indicio pene exploratae spei. Item et memoria (qua facilè superamur a canibus) magnam movet de discipulo quovis expectationem. Verum profecto est, nos tantum scire quantum memoriae mandamus, sed *reminisci* quasi gradus, atque aditus est ad intelligentiam. Reminisci autem, ex Varronis sententia, proprie est: ea quae tenuit mens, ac memoria, cogitare et cogitando repetere. Atque haec facultas, juxta Aristotelem, praeludit ingenio, bonique eventus spem alit, atque amplificat.

Quadam igitur iniquitate palaestrae litterariae memoria qui nunc praestant aequalibus, opinionem ingenii dum captant, destinatam excellentiae laudem arripiunt ut suam. Nec minus fallax est judicium eorum, qui disciplinis mathematicis imbuendos esse pueros censent, quasi ab ipsa infantia; nempe ut in obscuritate rerum per impetrata principia procedentes, humanitati obsurdescant *.

Nemo mathematicus genium indemnatus habebit. (Juv.)

Sit ideo, consultissimi viri, munus religionis,

* Dalla bocca del s. Roux antico professore di matematiche sono raccolte le seguenti riflessioni di G. Fourier segretario perpetuo dell'Accademia delle Scienze per la Sezione delle scienze matematiche.

(V. Benefattori dell' Umanità: Vite e Ritratti degli uomini utili Vol. II, pag. 538. Firenze E. Vignozzi 1843.)

« Non vi sono barbari più grandi.... che certi matematici: essi « non apprezzano che le matematiche, e vorrebbero che ci si ap-

et justitiae vestrae, summam reipublicae in summa Republica tueri, servare, adaugere etiam progressu antiqua respiciente, prospiciente futuris. — *In collegio radix est Reipublicae* — Genevenses ex instituto de se praedicant. Illud idem profiteri vos decet: quandoquidem Bellutiani Collegii amplificatis apud vos aedibus, ac studiis, amplificatae spes etiam sunt formandae juventutis non ad mobilitatem superbientis ingenii, sed ad nobilitatem animi, cujus dos est continentia in rebus domesticis, in publicis abstinentia.

Scholae, non vitae disci ex redundantia litterarum, lamentabatur Seneca jam ab iis temporibus quorum memoriam deleri voluisset Tacitus, si obli-

« plicassero anche i bambini. È questa l'idea la più falsa, la più « contraria allo spirito filosofico, alla società, ed alla umanità. Al « contrario bisogna nella prima giovinezza non occuparsi che delle « lettere. Bisogna mantenere accuratamente nei collegî lo studio « delle lingue antiche, della greca e della latina: poichè imparando « il latino, e' non è soltanto una bella lingua che si studia, è anco « un commercio intimo che si costituisce con degli uomini saggi, « e d'un genio eccellente, un Cicerone, un Virgilio, un Orazio, un « Tito Livio, un Seneca. Quante belle e buone cose s' imparano! Ciò « passa insensibilmente nell'anima, e ci fa una seconda natura, che « è l'*umanità* propriamente detta. Per esempio le Vite di Cornelio « Nipote, che si spiegano alla sesta e alla quinta, sono adattatissime « ai bisogni della tenera età, che fa d'uopo nudrire di grandi « modelli. »

Su questo proposito il buon Fourier non la finiva più, ed entrava nelle particolarità le più minute. Ei mi citava delle frasi di Cornelio, ne tentava delle traduzioni esitando, andando tentone, fermandosi una mezz'ora sopra una sola espressione per farne ben

visci tam facile esset quam recordari. Utinam fas foret aliter de aetate hac nostra statuere, et judicare! Sed ablegata humanitate studiorum, quid restat aliud, nisi proximum totius humanitatis naufragium? Namque humanitate doctrinae comprehenduntur ratio juris a natura profecta, habitus justitiae, lenitudo morum, urbanitas vitae, suavitas consuetudinis, communio officiorum inter cives et advenas, specie dissimili institutione pari.

Vos igitur, consules non unius anni pro munere dignitatis, sed cives pro caritate Reipublicae (quotiescumque opus ferat) ad egregia quaeque paratissimi, praecavete, ne singulare beneficium ex mora in rerum omnium motu avertatur a vobis cupidine

sentire la giustezza e la delicatezza. E quando passava ad Orazio molto più difficile di Cornelio, le sue spiegazioni sempre instruttive e fine, erano qualche volta un poco lunghe.

« Terminata la rettorica, non bisogna ancora passare allo stu-
« dio delle matematiche; bisogna riepilogare, e sviluppare gli studî
« del greco, e del latino con un corso di filosofia, nel quale s' in-
« sisterà particolarmente sulla morale. Voi vi lagnate che ci sono
« pochi libri elementari da mettersi in mano alla gioventù: ma
« sembrami anzi che ci sia una quantità di eccellenti libri per suo
« uso. Non avete il trattato di Cicerone *de Officiis*, e ancora i
« trattati di Seneca? . . . .
. . . .

« Quando l' uomo è così formato, allora applicatelo alle matematiche. Ei le studierà assai presto, e se ne servirà come bisogna servirsene in uno spirito filosofico, e per la più grande utilità degli uomini.

Così fece appunto Giuseppe Fourier: e potrà rilevarlo ognuno che voglia leggere la sua laboriosa ed onoratissima vita.

novitatum. Sunt hodie praefidentes grammatici, qui conseptos regulis juvenes a laude scriptorum deterrere audeant, ac velint; eosque ab elegantiis sermonis distractos, splendore admirabilium sententiarum cogant allucinari, diligentes otium cum arrogantia judicii. Nulla capitalior pestis Italiae unquam incidit; extraneis sibi plaudentibus, quod vi sophismatum ingenia nostra in has angustias compellere potuerint. Vanum est dimicare pro patriis moribus et studiis, ubi plerique civium vinctas dederunt manus. Apud vos disciplina majorum adhuc viget, dignoque in honore est. Ergo pergite tenere viam in qua estis, erudiendae a teneris juventutis. Cum Cornelio Nepote diligite Phoedrum, diligite Ciceronem *de Officiis*; sine quo volumine officia perire vidimus, subeunte doctrina jurium, quae animos a justa libertate abductos proclives fecit ad licentiam. *Imitabilia* potius quam *admirabilia* proponenda sunt pueris, ut ratio studiorum fiat ratio civilis vitae. Exemplis enim fit iter ad excellentiam, cujus a majoribus hereditatem spe devorant ii, quorum est in deliciis admiratio.

Quintilianus suffragatur Ciceroni oratori, quia profecisset exemplo illustri et perfecto eloquentiae in Demosthene: quod Arpinati adeo successit, ut Plutarchus, prudens quidem et eruditus scriptor, cum numeris Demosthenis Tullianam dictionem

conferre ausus non fuerit. Quicumque ab imitatione recedunt, facile excurrunt ad insolita: novisque rebus infideles, critici potius evadunt molesti, quam probabiles scriptores.

Litterae nomen habent ab humanitate studiorum, quia cultores earum cavere debent ab inhumanis litteris, et (sit verbo venia) *transhumanis.* Harum propagatione seges litteraria nunc obsita est, et in tantum laborat, ut prope absurdum videatur Horatianum illud

> . . . . sibi quivis
> Speret idem, sudet multum, frustraque laboret
> Ausus idem.

Praeceptores, ratione posthabita rerum imitabilium, venantur miracula sententiarum, ibique immorati doctrinam eruunt, quam ab *ecstasi* dicunt *ecsteticam;* artemque proculcantes (quae habebatur rhetorica) instillant discipulis scientiam mirabilium rerum. Stupent hi, haerentque defixi in lumine meridiano, unde caecutientes plerumque redeunt, aemulari desperantes quaecumque exemplaria suspexerint. Sic alitur otii superbia; distinetur utilitas imitationis: quodque teterrimum est, ingenia discentium abeunt in diversa, celebrique scholarum laude defraudata, haud raro infestant rempublicam; eorumque partibus student, de quibus ait Tacitus

(Ann. XVI. 22) « *ut imperium evertant, liberta-* « *tem praeferunt. Si everterint, libertatem ipsam* « *aggrediuntur.* »

Migrant alii ad ephemeridas, quasi ad theatrum diurnalium exercitationum, ibique enervant vires quotidiana garrulitate. Abusu typorum (sub libertatis nomine) omnia confundunt; et disseminatis opinionum conjecturis tendunt elidere veritatem. Qui Barettium nunquam adulantem legerunt, scutica ludentem laudàrunt, eundem audire etiam possunt, inde a Britannia, super hacce litterarum, ac morum fortuna vaticinantem *.

* Baretti. Gl' Italiani, o sia Relazione degli usi e costumi d' Italia (Opere Tomo VI. Milano 1818. Cap. IX. — Vantaggi della libertà e della schiavitù pag. 103.)

« ..... Se (la censura) si volesse introdurre nella Gran Brettagna, niun inglese vorrebbe assoggettarvisi: ma il lungo uso ha assuefatto gl' Italiani a' suoi ostacoli. . . . .
« Un autore inglese leggendo la mia relazione si glorierà di non « essere nato in codesto paese di schiavitù. Io sono un buon in- « glese, comechè nato ed educato in Italia: nondimeno mi sento « ancora molta propensione pel mio paese natio; e conosco ab- « bastanza il carattere vivace de' miei compatrioti, per deside- « rare che mai più abbiano a godere di questo privilegio ingle- « se. Una tale libertà in Italia sarebbe egualmente pericolosa allo « Stato, ed al riposo de' particolari. Essa non servirebbe a mol- « tiplicare i Metastasii, i Gozzi, i Finetti, i Morgagni, ma sono « persuaso che si convertirebbe anzi in una orribile sfrenatezza, « e che rinnoverebbersi i tempi degli Aretini e de' Bruni. La se- « dizione, la calunnia, la profanazione, la dissolutezza, e tutti in- « somma i disordini si spargerebbero per le nostre città e per le « nostre campagne: l' irreligione succederebbe alla ipocrisia: si da- « rebbe al Papa il nome di anticristo, ed alla Chiesa di prosti-

Hoc uti vos speculo in specula pinnarum vestrarum, providentes viri, hortor, et moneo: meumque hunc qualemcumque libellum defero ad radices Titani montis, tamquam ad fundamentum immunis omnium partium Reipublicae; testimonio ut ille sit, me italica conscientia, disciplinae morali per omnem vitam tribuisse quod decet, inculcando quod est necessarium, ne auctoritas Latini nominis cum aequitate judiciorum, cum apice Divinae Religionis, cum inviolabili litterarum humanitate alienis sordibus obsolescat. Hoc siqui exules patriae audeant ridiculo habere, aut impugnare, reminiscantur Tacitum verba facientem de praeminentia Romanae dignitatis: « *Compages haec octingentorum annorum* « *fortuna, disciplinaque coaluit, quae convelli* « *sine exitio convellentium non potest.* » (Hist. IV. 74). Orosium legant etiam, qui barbaros consilio et opera meliores rectoribus imperii ita inducit mandantes Honorio imperatori. « *Tu cum omni-* « *bus pacem habe, omniumque obsides accipe.*

« tuta. Tali sarebbero i felici effetti della libertà di stampa in « Italia. »

« Possano gl' Italiani mai più conoscere gl' innumerevoli mali « che ella trarrebbe con sè! E s' egli è vero che le lettere non pos- « sono fiorire che sotto i suoi auspicii: s' egli è impossibile che « senza questa libertà l' Italia possa avere scrittori come Johnson « e Warburton, possa ella esserne priva, finchè dureranno le Alpi « e gli Apennini, purchè d' altra parte essa non sia sfregiata dal « *cetera desunt.* »

« *Nos nobis confligimus, nobis perimus; tibi* « *vincimus: immortali vero quaestu reip. tuae* « *si utrinque pereamus. Quis hoc crederet nisi res doceret?* » (Oros. A. ab U. C. MCLXVIII.)

Itaque unusquisque vestrum sibi persuasum habeat, omnia minoris aestimanda esse, quam exemplum excellentiae in quacumque civili institutione, sed praecipue in gymnasiis et scholis, quarum pestis est inverecundus animus in discentibus, studium peregrinitatis in praeceptoribus. Quamvis enim non omnis novitas repudianda sit, vetustas suo loco est conservanda, et ex instituto tuenda: ne de nobis inolescat ea, quam dicerem advenarum calumniam, nisi nostrates eidem suffragari more ac lege viderentur. — *Ingeniis abundant Itali, disciplina carent.* —

Florentiae ex r. bibliotheca
Mediceo-Laurentiana
Kal. Jul. A. MDCCCLXXIII.

Alois. Chrysostomus Ferruccius
ejusdem bibliothecae praefectus.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

FABULARUM ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

PARS ALTERA.

I. PHILIPPUS ET ADULATORES.

Athenarum oratores e republica
Clari Philippo adulabantur Macedoni
Thus accumulatae deferentes gloriae:
Quia pulcher esset, quia disertus, et impares
Siccare cyathos impiger idem et integer.
Adsentatores deridendo, rex ait:
— Frustra speratis dementare me, viri,
Communione laudum, quae sunt feminae,
Rhetoris, et spongiae. — Sic dimisit subdolos.
Laudum veneno pereunt plerique procerum
Ineruditi, quia carent arbitrii
Libertate, opibus intercepti, et gratia,
Quam dispensare nesciunt viriliter.

II. DROMAS ET ONAGER.

Eodem sub agasone dromas, et imparis
Gradus onager anhelus carpebant viam:
Onager flagello sed agitabatur magis.
Quare conversus ad agasonem asperrimum

Verberibus: — mutare nequeo naturam meam: —
Dixit, et in verbo tetigit prostratus solum.
  Qui mediocres disciplina sic incitant,
Ut sint quod esse nequeunt animi dotibus
Exiguis in palaestra litteraria,
Videant quo valeant opera prorsus inutili.
Ubi non est ingenium, nemo nam creat
Vexando: nec aquam refricatus dat lapis.
Unum quod possint adfectare mediocres
Est ingeniorum diligens imitatio.

II. HYSTRIX, MELES, ET APER.

Hystrix a spiculis metuenda corneis,
Siquando sentiat insequentes proximos,
Melem dormire solitam menses integros,
Contra naturam suam, ausa est lacessere.
Ea cum nil ageret, ad fruticetum venit, huc
Ubi recubabat mater a foetu recens
Aprorum. Haec, ex eadem dum timet suis,
Praeoccupando cominus, adfixit solo
Conculcatam, et affectam pejus dentibus.
  Fabula narratur criticis haec temerariis,
Quorum est per fas nefasque fieri incommodos
Quibuslibet scriptoribus eorum ex libris,
Ne dum notantes, sed agentes calumnia.

III. EQUUS ET SERPENS.

Equus frenatus in societatem virûm
Sic est receptus, fieret ut apud Arabas

Custos puerorum vigil, et imperterritus.
Insidiabatur cunis infantis vagus
Serpens ab arenis Austro subjacentibus.
Vidit, et incursu tutor explicuit, eum
Dedit et protritum capite pro foribus domus.
Adolescentes ab indole innocentiae
Qui submovere tendunt, et pervertere,
Utinam invenirent hujus equi custodiam
Similem! Amicitiis namque malorum impunium
Vitiantur animi; spes et virtutis perit.

V. SYCOPHANTAE.

Querelarum non una adversus improbos
Sonat hîc in praesens, nacti qui curulium
Honores principales studiis a bonis,
Prae disciplina veteri, proponunt novam
Adolescentibus actis in oppositum viae.
Dolus est in re, quae suffragatur otio,
Inextricabile dum parat negotium
Ingeniis, sterilitate inevitabili.
Artibus et studiis namque quibuslibet, *nihil*,
Aut *nimium* eodem pertinet; ut sit vanitas
Doctrinae utrinque certa. Sic est ab olei
Vel defectu, vel copia fraus luminis,
Damno lucernae, circumstantium et pari.

VI. CYPRINUS ET CANIS MARINUS.

Cyprinus nitidissimus haberi piscium
Dum vult, et audet ingredi sal aequoris

Incautus os incurrit horrendum canis
Marini: sic et periit a superbia.

vII. CONGER ET ANGUILLA.

Iter facere ad Americos dum cogitat
Conger marinus, venit ad anguillam lacus,
Quae nîl sollicita prolis, et rei suae,
Peregrinationis comes accederet.
Anguilla consulens e vestigio sibi,
Simul et excusans se de lentitudine,
Dixit: — Ut insidiis circumventa recedere
Hinc possem, vel deberem, maneo: tu cave,
Conger, majorum ne sis praeda piscium,
Monstris abundat aequor in longum patens. —
Tentare nova trans mare, contingit pluribus;
Succedat nec ne, jure dubitatur tamen:
Rari locupletes redeunt Orbe ab altero.

vIII. JUPPITER ET AGRICOLAE.

Aquarum refrigerium mediis messibus
Sibi supplicabant mitteret ut Diespiter
Agricolae litterati supra masculae
Virilitatis usum. Sed redarguit
Hos insipientes Juppiter inflatus genis:
— Vobis mutatis, tempora mutare nequeo.
Carens calore tritura necessario
Fruges adhuc lactentes omnibus horreis
Male praepararet ad sedandam vim famis. —
Studiis vacare commodum est, ligonibus

Non ita. Coloni nunc utrumque recipere
Agunt. Sed ante messes, et cum litteris
Patiens algoris, et caloris it labor.

VIIII. PHYSICUS ET CALVARIA.

Virilis cerebri scrutator, multiplices
Ejus per ambages, et circuitus vagos,
Partes in omnes dum versat calvariam,
Exivit vox ab ea: — Dimitte spiritum
Investigationis arrogantia
Sciendi: nemo fidei nam vidit caput. —

X. NOMEN ET OMEN.

Bene ominari de futuro nomine
Dum vult amicus ad amicum per litteras
Rescribens ait: — Habebis quod superbia
Plerumque devorat sibi viva laudibus
Exaggeratis ad fastidium, reas
Per ephemeridas laesae conscientiae. —
Judicium grave scriptorum namque pertinet
Ad tempus, immutabili sententia
Posteritatis, comite fortuna, sub duce
Virtute, ad sedes immortalis gloriae.
  Sperare discant juvenes rem parabilem
Ab obitu, nec gaudere praesentes sono.

XI. GALLINAE ET GALLI.

Gallinas contra gallos invasit furor
Negantes his subesse, natura pares

Et velle dici contendentes acrius.
Fuit haec stupori novitas arrogantiae.
Sed abstinentes marium ab opera se vagi,
Cito receperunt galli jus in eas suum.
Habemus nunc mulieres hujus ponderis
Super viris mirifice conniventibus.

XII. CAPER ET ASINA.

Caper lascivus insequebatur asinam
Non sine stupore nivei custodum gregis.
Rependit asina meruit quod temerarius
Calcibus, ut sciret temperare se miser
Sic monitus a congressione sât impari.

XIII. METUS JUDICII.

Plerumque caeca nocte patrantur crimina.
Gallinis tunc mustela infesta, et muribus
Intrat quod prae timore putavit invium,
Quin et inaccessum sub solari lumine.
Lupus rapax, et vulpes insidiis potens
Proficiunt super ovilibus eo tempore.
Fures item et latrones oderunt diem
Injuriosa luce testimonii.
Nocte recrudescit equidem conscientia
Occulta morsu; deridetur sed palam,
Ubi didicerunt plures ea quemadmodum
Peccata impune fiant, quam quemadmodum
Resisti possit invitantibus ad nefas:

Quandoquidem horis nocturnis collucent faces,
Non ut minuatur, sed crescat ut audacia.

XIIII. MANGO.

Homo fraudulentus destitutus publica
Opinione commigravit ad Arabas.
Interrogatus super hoc. — Vado ad patriam
Mendaciorum: — dixit. Mercurius enim
Hujusdem mercis illic se sacco levem
Persensit, dissoluto ejus ligamine.

XV. TRIVIALE SPECTACULUM.

Auriculas inter supportabat dum canis
Impositum felem nullo sustentaculo,
Stupente trivio cum plebecula rudi,
Percita vi venti tegula descivit loco,
Cadens turbavit et omne contubernium
(Agebatur res etenim sub suggrundio).
Canis aberravit, felis tetigit et solum,
Utrique adsibilante multitudine:
Sic et mirum quod erat, deridiculo fuit.
Fabula narratur vivis ejus temporis,
Cujus futura sors erit, compescere
Quidquid humanitatem praegràvat artibus,
Et studiis mirabilibus praeter ordinem,
Ut sit sobrietas vitae jam tandem redux.
Cunctós heróàs esse, natura renuit.
Hi sunt heróès vere commendabiles,
Qui sentiunt se fratres, et sternunt viam

Vulgaribus ad salutem communem omnibus
In Christo, non in vanitate gloriae.

XVI. FORMICA ET AQUILA.

Insinuabatur formica pedibus aquilae
In atrio captivae nobilis domus.
Nimis recurvo rostro sed prorsus nihil
Agebat, ut depelleret id molestiae
Eadem quae saxa crebris frangeret ictibus.
Minima cuique sunt ferenda de malis,
Aut eligenda, si premat necessitas.
Palaestra vitae namque fit patientia
Proponens parva, ut ad majora, et maxima
Æquanimi sit virtute faciendus gradus.

XVII. LEPUS ET SIMIA.

Lepus, quod invidebat caudam simiae,
Redîit derisus: nam caudata bestia
Dat persequenti facilem capturae modum.
Ergo carere cauda plus est commodum,
Minus et periculosum in coetu quolibet.

XVIII. BUBO, BUFONES, ET RANAE.

Bubo magister constitutus in choro
Ranarum inter bufones exsuperantium
Fieri volebat intervalla temporum,
Vibrissantibus interdiu bufonibus
Ut ranae responderent consonantia.

Magna fuit sedulitas in negotio
Vocum sic componendo, ut aequitas foret.
Indociles ranae sed dederunt omnia
Confusa sic, theatra per paludium
Vituperatus ut magister hisceret.
Semper garrulitas inter feminas fuit
Regina: nec erit arrogantiae modus
Earum a studiis qualitate virilibus.

XVIIII. LEX ET FAEX.

Faex hominum in lege nîl considerat aliud
Quam quod metu deterret a maleficiis.
Bonorum porro est omnium amare vincula
Legum ad salutem civilis consortii.
Lex obsurdescens minor est effectu, nisi
Praecurrat sensus ejus observantiam.

XX. DISCIPULUS ET BUCULA.

Discipulus, qui Virgilium amabat unice,
Pergens ad agellum totus in Georgicis
Legendis, devius occursavit buculae
Pascenti; cujus cum sedisset ad latus
Elata voce Ascraea recitans carmina,
Abstinuit a pascendo sese bucula,
Auribus arrectis combibens illud melos,
A quo nunc pueri distinentur in scholis,
Ne sint quod fert natura, sed quod vult furor
Inhumanitatis studiis extraneis.

XXI. PUERI ET CYPSELUS.

Cirratus puer ad cervical puellulae
Commenta perlegendo quae minus decent,
Tendebat impetrare quod licet minus,
Ætatula tuente pudicum lectulum.
Cypselus elapsus nido praecox distulit
Facinus: puella strepitu nam deterrita
Alarum, subito voce vocavit in metu,
Mater ut adesset. — Immatura quot cadunt
Generis progressione formidabili!

XXII. LEONES ET INDI.

Deserta liberare dum leonibus
Venatores parabant omni ex India,
Periculosum nîl dubitantes praelium
Inire, audaces vox una compescuit
Doctoris inter eos celebratissimi.
— Inhospitales invidete ne locos,
Barbariei quos naturae sors destinat;
Ferociores namque redire vos erit
Ipsis leonibus ad consepta patriae.
Tum generosus leo videtur, cum viri
Crudelitatis efferatae se gerunt
Habitu pejores bestiis, ne dum pares.

XXIII. MUS ET FORMICAE.

Mus subterraneus, oppidi in summa fame
Hostilis obsidionis inclementia,

Formicas devorare vivas ausus est,
Post depopulata tecta. Sed earum phalanx
Ingesta stomacho vomitu sic exercuit
Murem, ut rediret sospes, eo demortuo. —
Exitus hic est plerumque omnis tyrannidis.

XXIIII. VAPOR ET TELEGRAPHUS.

Duo de terrigenis contulerunt brachia,
Machina terrarum, quam natura sustinet
Aquis circumsistentibus, ut induceret
Ad nutum eorum speciem sortibus novam,
Omnes gigantes homines et fierent statu.
Machina progressu rapida, permeabilis
Ubicumque filis in seriem metallicis,
Onusta tot gigantibus, avelli polis,
Et supra Solem tendere voluit insolens.
Jupiter accivit aquilam, quae fulmen daret,
Ea nec invenit dissipatum audacia
Terrigenûm. Tunc petrolei de bitumine,
Sui, suaeque par majestatis Pater
Liquida excitavit vi flammarum incendia;
Ardore supplantata ut stirps gigantium
Disceret inenarrabili spectaculo
Mortalitatis, plurima in rerum ordine
Posse renovari, non naturam sub Deo.

XXV. LUTETIA ANNI MDCCCLXX.

Ardebat ex incendiis Lutetia
Parisiorum immanitate barbara,

Misera cum caede maximorum civium,
Horrentibus ipsis hostibus spectaculum,
Immissis ac si Troja rueret ignibus.
Fuit qui diceret: — Ecce lumen Gallicae
Civilitatis! — Discite, temerarii,
Laudare coram populo quod liberrimum est,
Denique quo valeat! Namque infertur Tartaro,
Aut Tartarum effert sub sole vulgarium
Conjurata societas omnes evertere
Focos, et aras, nomen delere et Dei.

XXVI. PASTOR ET VIATOR.

Argóus oculis procedebat in via
Pastor apud tardum ac trepidum foetura gregem,
Agnorum cura saepe coactus sistere,
Ut aliquem lassum ferret humeris, aut sinu.
Fuit qui monuit, ut canes praemitteret,
Ad avertendos vi sagaciae lupos.
— Extimeo vulpes, dixit, a tergo magis
Custos sollicitus: — quare respicio, viae
Quod fuit, astutas ut deterream videns.
Nunquam malignus vigiles invadit. Vale! —
Vigiliis agere sustinete vos diu,
Quorum est habere curae pueros litteris
Formandos, et virtutum implendos semine;
Ne quis contaminet ipso in germine subdolus.

XXVII. AVIA ET FAMULAE.

Ante pedes aviae cunctabatur in otio
Colus ad quasillum cum fusis vacantibus.

Circumsistebant famulae nequidquam libris
Haerentes, si quas ex ignotis litteras
Arriperent institutis praescripto novis.
Avia contracta pensis sed domesticis
Admirabatur adfectantes ullius
Doctrinae numeros supra captum et indolem
Servilem, lanificii cum fastidio.
  Caput it in gyrum namque, dum cessant manus
Venando curas extra parietes domus,
Nunquam vagabunda fuit ubi sollertia.

---

xxviiI. MAGISTER ET MATER PUERI.

Magister oricillam vellere pueri
Dum vult, ut admoneret de mendacio
In re praesenti, mater irritabilis
Crudelem dixit eundem, et usu barbarum.
Magister explicata fronte, liberis
Et verbis sic redarguit: — Habeto tibi
Incauta mater, habitu qui fallaciae
In annos angat te venientes, et ferat
Clementis disciplinae fructus perfidos.

---

xxviiiI. VIR BENEFICUS.

Beneficus vir se largitate prodigum
Quasi comprobabat caeca munificens manu,
Indignabatur referentes et gratiam.
Male audiebat ideo coram aequalibus.
Fuit qui moneret: — Age mihi carissime
Rerum, qui doctus es tot, tanta et maximis

Abstrusa studiis, ne graveris discere
Tandem hoc facilius, minimis quod beneficiis
Accedit gratia, nisi dandi gratia
Desit; majorum sed perire memoriam
Plerumque est breviter, nisi comes sit gratia.
Sic omne meritum intercipit superbia.

XXX. RUSTICUS ET VICINIA.

Gallorum ob cantum summo mane incommodum,
Dolebat expergisci omnis vicinia,
Ea quae noctem produceret spectaculis.
— Est gallicinium (voce retulit rusticus)
Auspex diei, cui detrahere maximas
Vos non timetis horas somno dediti.
Vobis sunt galli bubo, strix, et noctua
Tempus theatris praeparantes et viam;
Ut lacrymosi redeatis post dramata
Anxifera, et choreas interficientes modis
Omnem pudorem, foveant ut libidines
Cum vice coenarum, venere, vino, et alea.
His ex elementis quos cives, quos milites
Habebit ea, quam conclamatis publicam
Rem? somnolenta patriae labes, et domus
Ex otio constipante quod adest pessimi,
Et distinente spem meliorum temporum. —
Apage! rusticus oravit ut alter Tullius.

XXXI. ASINUS AD MOLAM.

Occlusis oculis asinus versando diu
Molam pinguis olei, sensit se vertigine

Correptum; et implorabat aliquas ferias.
— Omnia vorticibus nunc aguntur: — audîit
Ab agitatore servo: cessare est nefas;
Servitio nam debemus horas sexdecim,
Ex instituto civicae tyrannidis. —
Sic asinus requiem invenit sub terra semel.
Progressionis hoc est pretium ac praemium
Perpetuae, cum vigiliis et laboribus
Ex coacervata studiorum farragine.

XXXII. CYCNUS ET ANSERES.

Cycnus canebat, perstrepebant anseres;
Et concursus (quis crederet?) ad eas fuit. —
Clangorem sic tubarum nunc libentius
Aures accipiunt, quam dulcedinem lyrae,
Humanos esse ut pudeat heroas novos,
Pacis et amicos cum consortibus focis.

XXXIII. NEPA ET FORMICA.

Nepa formicarum regem inclusit circulo,
Collatis sic verticibus ut nulla fieret
Potestas exeundi, donec ederet
Decretum de formicis annuo penu
Exspoliandis in ejus usum, et commodum.
Rex constitutus haesitavit obsequi
Satis arroganti: quare chelas ex dolo
Ea sic deduxit, ut putaret credulus
Rex, posse evadere sospitem a periculo:
Medium sed ipsum misere intercepit nepa.

Biceps quod est, in unicum semper caput
Conjurat; ad perniciem nam putat sui
Supra esse: nec Tarquinio vult papavera
Multiplicari, praecurrens audacia.
Suppetiae jam nec desunt ex acumine
Caudae, vibrantis quod deterreat obvios
Frenis, quos sero poenitet conniventiae.

---

xxxiiiI. SCHEDULAE MONETALES.

Monetales obtrudere dum schedulas volunt
Subrostrani minutis in negotiis,
Interfuit qui suspectas diceret doli;
Simul et iratus inveheretur in eam
Consuetudinem habendi pro nummis mutuas
Chartas mirificae fidei per vulgus fori.
Astuti testabantur in contrarium
Ausi reponere: — Curnam lamentamini
De re, quae providenter avaris auribus
Mensariorum minuit illecebras soni?

---

xxxv. PASSER ET CANIS.

Audebat passer summis edere nivibus
Humiles volatus desiderio pabuli,
Quod queritabat inutili constantia.
Canis odoratu persequi vestigia
Dum voluit exultantis, haesit altius
Ipse superatus tumulis a nivalibus.
Levis poetarum est ratio, censorum gravis;
Feruntur et in profundum qui sapiunt nimis.

XXXVI. DESIDERIUM SILENTII.

NOCTEM cum pace amabilis silentii
Agebant veteres ab avis et majoribus
Obtemperantes invitationibus
Somni, naturae matris ad nutum pium.
Sed nunc nocturna quies omnino perdita
It incessantes propter curas, et hominum
Sollertiorum constipata negotia.
Adde et vagantes rerum promercalium
Currus in seriem, rapiditate maxima
Vaporis et rotarum confligentium
Cum ferro per directas strictius vias.
Habebis hinc quod suadeat alta montium
Amare juga cum solitudine tugurî,
Ubi invocatus somnus adsit, et adferat
Tranquillitatem pulsam ab omni vallium
Planitie, et civitatibus usu incommodis
Spectaculorum populari frequentia.
Amice, ne graveris audire querulum
Me de priorum depravatis moribus,
Aut intermissis. — Qui naturae dat, suum
Quod est, sospes in annos ille recipit suum. —

XXXVII. MURES ET CANIS.

INTRA macellum soliti circumvertere
Mures impune se per noctes singulas,
Muscipulas dum cavebant, de pingui cane
Nihil curabant, quae porrecta stramine
Laxis uberibus dormiebat ad fores:

Quin etiam haec ausi sunt tentare dentibus.
Expergefacta titillatu tunc ea
Voluit moveri, sed pinguedine jacuit,
Damnata ferre tot ludibria murium,
Quot profligatos prius, et exsectos dedit
Potente morsu, cum floreret viribus.
Commoditas pejor adhuc angustiis rei
Est familiaris quolibet in coetu virûm,
Propositum si respicias multitudinis
Oculos habentis ad lautitiem, quam fere
Beatis invidet, irridetque fruentibus
Amariore; quam Sardôus sit, dolo.

XXXVIII. PHERECYDES.

Imperturbatum admirabantur plurimi
Inter calumniantes aemulos virum
Veteris disciplinae parem, impotem novae.
Eorum fuit de grege, qui nîl tractabilem
Hunc appellare cancrum, vel testudinem
Non dubitaret: sed iste voce reposuit:
— Testudine militari nihil est fortius;
Cancer remoratur, queis obnixus sit, rates:
Ego veritatem tueor immotus fide.
Quare quod vitio vertis, in laudem mihi
Redit, et hanc sponte Veritati defero. —
Ut vento flamma, Veritas odiis viget.

XXXVIIII. SCORPIUS ET LEAENA.

Apud cubile scorpius errabat leae,
Metuens videri tantae fortitudinis

A femina. Forinsecus haec se dum gerit,
Biceps praetendit caudam, occultans cetera.
— Exsere te totum: — ait leaena continens
Gressum: — ut sis brevis, a morsu timeo duplice
Meis vehementer pedibus. — Abire scorpius
Tunc cogitavit, ne protritus, et simul
Enectus in veneno finiret suo.
  Coram magnanimis male se contrahit dolus,
Post terga ut noceat, nisi deprênsus excidat.

XXXX. ITALIA ET SICILIA.

Italiam dicunt plurimi similem ocreae:
Obeliscum sed ego detruncatum ibi video,
Duplex ubi vulcanus utrinque tribuit
Veteris ruinae horribile testimonium.
Ejus potestas nunc se pedibus exserit,
Quae prius in capite consistebat. Habebimus
Rei sic consulentes publicae pedes,
Mirum quod esse possit: tamen improprium
Non est aetatis, quae fert excellentiam
Ingenii statui mediocritatis ad pedes.

XXXXI. GRACCHUS ET GRACULUS.

Quidam curules adfectando vir novus
Stetit coram patriciis Gracchus insolens
Magna locuturus omni de re publica.
Conscripti patres hunc dixerunt graculum
Sermone, et calamo Battulum scriptorio:
Quare delusus redîit equorum ad nundinas.

Stultum est pulsare lingua morem, et ordinem,
Quem revocari postea ferat necessitas
Securitatis in negotiis civium.
Inflat Temeritas, quem Sors exanimat, utrem.

XXXXII. ILEX ET HOMINES.

Ilex annorum testis secularium
Cortice cavato subsistebat hactenus.
Admirabantur incolae convallium
Sic obduratam sustinere temporum
Vices, et invidebant fortitudinis
Diuturnitati. Quidam curiosius
Eam scitari voluerunt de motibus
Rerum civilium variis, fere ut oculos
Haberet, et linguam propria cum memoria.
Jam non obmutuit, et quod sperabant, dedit
Breviter loquendo. — Adite, intrate corticem!
Videbitis ruinas hîc intrinsecus.
Ipsa ego tot aetatibus aliud prorsus nihil
Vidi, praeter ruinas hominum, et urbium. —
Sic semper mundo veteri pejor est novus.

XXXXIII. PISCATORES ET MULLUS.

Duo destituti rebus omnibus, ad mare
Se contulerunt, ut piscatu viverent.
Mullum barbatum decepere ponderis
Non usitati, cujus intra viscera
Nummus latebat aureus rarissimus
Antiquitate. Rex inaestimabilem

Hunc pretio, gazae voluit addere regiae,
Simul et accivit ambos ad stipendium.
 Hos fortunatos declaravit vox fori:
Ego pares opera laudo. Queis est parcere
Manibus, et invocare Fortunam rota
Propitiam, nec merentur, nec semel tenent.

XXXXIIII. RHOMBUS.

INTER verriculum positus, et hamum, pinnifer
Haerebat rhombus ad oram, quae spectat prope
Ravennam, nec habebat alicujus spem fugae.
Tentare littus cogitavit insolens;
Compos arenarum saltibus et inconditis,
Clam piscatorum, sese contulit alio.
Delphinum invenit at innatantem fluctibus,
Cujus dum cavet occursum, offendit in canem
Marinum, quo confectus omnino fuit.
 Sic nos habemus nunc nos circa praedia,
Eorum et reditus, cum calumnia divitis
Industriae, ac operarum magna merentium.
Omnia tributis dant et vestigalibus
Causam, irretitus ut possessor prodeat
Reus ex habendo; et vivere sit agitatio
Inter opulentum fiscum, et pauperem domum.

XXXXV. MUS ET CASEUS.

Mus in ruina caseorum ob pascua
Maligna, vaccis destitutis ubere,
Tractus Padani magna cum penuria,

Caseolum invenit, quem sepositum in angulo
Adortus dente singulariter sibi
Sic concameravit, esset ut intus cellula.
Ibi consistebat nullo testimonio
Morae, securus alimenti domestici.
Venit improvisa fluminis exundatio
Subvertens omne gaudium cum habitaculo;
Fuit et enectus mus ludibrio fluctibus.
Sic periit a diluvie correptus fera
Qui cogitabat tuto, et laute vivere;
Exemplo ut constet exitus hic inertiae
Se procurantis unice ventre, et cute.

XXXXVI. REX FRUGI.

Abacto mortis, ex legum indulgentia,
Metu, latrones cujuscumque seminis
Fiunt innexpugnabiles, ut graminum
In sulcis herbae. Res hinc vere publica
Scatet; et rex frugi extentum per funem ambulat.

XXXXVII. ERYTHREUS ET ERYTHRINUS.

Nocet rubicundos esse quovis tempore.
Erythreus coloratus sic pectore
Inter aves alias non effugit indaginem
Venantûm singulari diligentia.
Erythrinus eadem piscantes allicit
De causa, quem fragorum manifestat color.
Opinione qui notabiles magis
Sunt, purpurati utrinque procedunt viri
Vestibus et tutulis in periculo pari.

XXXXVIII. CANES ET CRITICI.

ARGENTEUM nitorem Luna quod habeat,
Latrare canes fert ejus ad spectaculum.
An non hic mos est criticis, ubi volumine
Novo se prodat scriptor, conscientia
Qui nitida persequatur vitia temporis,
Recentiores revocet et ad optimam
Majorum circa mores consuetudinem?
Latretur ergo utrinque semper inaniter.

XXXXVIIII. FENUS ET BELLUM.

CATO *fenerari* dixit — hominem occidere. —
Quid est quod hodie feneramur in otio
Mensarum, sic ut vivere sit de sanguine
Fratrum quamplurimos? — Pax in odio est gregis
Humani: temperare nemo vult sibi
Voluptuosus. Ergo luxu perditi
Tot pereunt quot in acie nunc confertissimi
Novitate machinarum exterminantium
Nemesi Libitinae horribile dant negotium.

L. AQUILA BICEPS, ET LEO.

BICEPS aquila leoni quum contenderet
Configere oculos unguibus adactis, levem
Sensit se pedibus: et oh! dixit, si quattuor
Essent hi, quo triumpho gauderem mihi! —
Leo beneficio superavit sed morae,
Quatuor insistens pedibus, caudae et verbere

Cavens in singulari sibi certamine,
Ac si lanista impervius esset ictibus.
  Aquila descensu praeceps, et rapto fruens
Reptilium et pecudum genus ut omne devoret,
Nunquam a leone redîit cum victoria.

LI. LIXA ET CONSERVI.

Pauper receptus in consortium domus,
Ut esset inter infimos lixae loco,
Saepe obloquentes audiebat ad focum
Gregales de divitibus, eorum et ferculis,
Magna cum invidia. Proximus at ille matulae
— A desideriis temperate vos, ait,
Gulam quae stimulo afficiunt, nec levant famem
Ex indignatione semper inutili.
Laute qui coenant, hi pejus olent, dum cacant. —

LII. CAMELOPARDALIS.

Camelopardalis habet ulla superbiae
Signa, quia collo longius producitur
Quam par sit; fronte coronatur sed cornibus,
Raro non aequis cruribus indulgens sibi
Currere, plerumque pellis adulatrix suae.
  Ego notavi quemdam procerum statu
Cujus conveniunt mores hac cum bestia:
Lingua praevertit eam sed arrogantior
Circumlocutionibus temerariis.

LIII. PHRYNE AD CONVIVIUM.

PHRYNE fucatas inter feminas stetit
Regina convivalis; et ut erat, dea
Naturae dono, simul et habitu gratiae,
Sedere jussit facie lotas singulas,
Ejus ad exemplum. Plures sed earum in lâbro
Formam posuerunt: Phryne speciosissima
Risit cerussa fragilem pulcritudinem,
Pudor occupabat infra dum pallens genas.

LIIII. CARDUELES, PUERI, ET ANUS.

Duo cardueles congesserunt in loco,
Cujus superabat altitudinem manus
Puerorum jactu lapidum, cum periculo
Appensi nidi sub nutante cacumine
Arboris amictae fronde tunc veris nova.
Anus indignata ludum insolentem, colo
Detracta lateri, praetendebat stridula
Cum voce minas. Pueri sed expertes metus
Naso admovebant digitos inde a pollice
Distractos, coram reclamante inaniter.
Sic habet hodie se proculcata auctoritas
In ipso senio. Risus destruit omnia:
Momus et impunis caelo infert convicia.

LV. DISCIPULUS ET EXCUSATOR.

PERCONTABATUR inter pensa scholastica
Quota esset hora saepe saepius puer

Spe finis. Intermissae diligentiae
Insimulabatur ideo, qui foret operae
Minus patiens in ludo litterario.
Fuit excusator in praesens qui diceret,
Id facere jure puerum, qui de tempore
Interrogans, pretiosum quam sit, admonet;
Uno nam penso exacto, debuit alterum
Implere, nocuae cum periculo morae. —
  Nunc auditores praegravantur pondere
Disciplinarum succumbentes in via,
Eventu misero inutilis constantiae
In studiis multiplicibus, absque pyxide
Judicii, quod formatur intentu rei
Unius; doctrinarum ne magnum mare
Incerta regione sepultura sit ingenî.

LVI. EPULO.

Epulo contractus genibus, et ventre tumidus
Imaginem ollae prope referebat auribus
Oblongis. Hunc nitentem, more Flavii
Vespasiani, concacavit milvius.
Capite inquinato, lamentabatur epulo:
Fuit qui diceret: — Hic galerus est tuus;
Prodire nam fumosus a conviviis
Plerumque nuda solitus es calvaria. —

LVII. GIBBUS IN CURIA.

Homo statura exiguus, et gibbus humeris
Risum movebat, praesens in coetu virûm.

Dum verba faceret: atque (ut horum est corporum
Plerumque) habebat animum pectore nobilem.
Acer hic ingenio protulit has argutias
Coram praetore, suffragante curia,
(Erat patronus nam probabilis): — Equidem
Impedior gibba, quominus sim rectus: quolibet
Magis obelisco mentem sed rectam gero
Hîc intus. Nemo gemmam inclusit dolio. —

LVIII. ASINUS ET MULIO.

In sterquilinio semimortuus asinus
Jam tandem injustis exoneratus sarcinis
Jacebat, fatum liber ut obiret suum.
Moestus agitator ejus a calce properat
Dum ferrum eruere forcipe adacta, pertulit
Ictu feriri, testamenti qui loco
Esset: namque manu laesus est, ut memoria
Fieret diuturna comparis vitae, ac viae.

LVIIII. ADULATORES ET SENEX.

Propinqui et amici senio proximum virum
Constimulabant, ut quodcumque supellectile
Esset obsoletum, renovaret: sic et situ
Deterso, argutias operum exhibens domus
Digna videretur domino nunc etiam suo.
— Male me tentatis, dixit ille, aculeis
Orationis in re privata. Decet
Sene cum canuto consenescere nam sua. —

LX. NOX, SILENTIUM, ET PUDOR.

Nox, et silentium adimunt erubescere;
Fere patratur et in umbra quod evenit
Libidinosum furtis, aut rapax. Cavent
Frustra vigiliis homines, dum legum metus
Facinorosos deserit, et cives occupat
Rerum securos intra parietes domus,
Arx est quae tuta, canibus sed latrantibus,
Commune et avertentibus periculum.
Latret ubi lex non exaudita, fit malis
Omnis facultas invadendi singula
Offensione jurium, et innocentiae
Damno non aestimabili, nisi post scelus.
Sic impunita crimina destruunt fidem
Humanae societatis: et Sol pallidus
Nocturna pudoris funera retegit die.

LXI. THALES, ET MATER.

Mater Thaletis, qui fuit Milesius
Patria philosophus, puer uxorem ut duceret
Adhuc, stimulabat. — Id cito facerem nimis. —
Ait ille tunc. Eundem aetate jam virum
Rogabat, ne differret rem diutius.
Thales respondit: — facerem nunc sero nimis. —
Desiderata caruit sic nuru parens;
Caelebs muliere vixit et Milesius
In summum senium, Jonicae princeps scholae,
Donec suspiciens astra, puteum incurreret.

LXII. VERMIS ET POMUM.

Vermis habitabat malum pendulum ab arbore,
Avium voracitate delusa, latens.
Venit qui carperet, et arriperet tempore
Maturum, mensae destinaret ut alteri.
Jacuit divisum, quod placebat integrum,
Lue manifesta. Vermis occisus fuit:
Non ideo pomum vidimus revalescere.
Discant habere laudatores optimi
Modum in propositis: laudabilius est enim
Uti reliquiis (si supersunt) pessimi.

LXIII. URBS ET PULICES.

— Tenemus Urbem! — clamabant ab ariete
Pulsante muros impete temerario
Eversionis, hostes fratrum nomine.
— Cives tenemus — respondebant aedibus
Ad obseratis pulices incommodae
Satis superque pube cum phalangium
Sanguinolenta — breviter et vos tenebimus. —

LXIIII. MYRICAE ET VIMINA.

Esse in myricis plurimi consentiunt
Vim contra ventos cujuscumque flaminis,
Prorsus carere qua videmus vimina.
Exstirpari myricae sed possunt semel
Aut Austri, aut Boreae praepotentis impetu:
Nunquam viminibus intercessit id mali,

Propter naturam cespitis humilem loco.
  Infra secundos sedeat qui vult flatibus
Invidiae nil concedere, praeter affici
Sinistris (donec vivere sit) rumoribus.

LXV. URSA ET VENATORES.

Captivae matris ibant circa retia
Catuli se devoventes venatoribus
Ejus pro libertate, supplices simul.
Ast efferati surdis auribus, prece
Derisa, deterrebant verubus sic pios.
— Crescite, clamabant, in quaestum pecuniae!
Ursorum namque pelle pellitur gelu.
  Caeca est utilitas, Orbem et immolat sibi,
Utcumque pietas retrahendo motibus
Obsistat cordis, suadeat et miserescere.

LXVI. ALIPIUS ET SORORES.

Alipius impetrabat a patre, ut semel
Liceret interesse cum sororibus
Tragoediarum, et chorearum spectaculis
Nocturnis, quae dum fallunt oculos, mentibus
Infundunt cognitionem cordis intimam.
Pater interceptus precibus, et nimium levis,
Disciplinae privatae passus est dari
Has quasi suppetias consuetudine publicas,
Bene moratae et diruit aedificium domus.
  Quanta est injuria, quae fit innocentibus
Puellis, inconsulta conscientia!

Trahuntur ad theatra, curiositas
Ubi fit malarum conciliatrix fraudium
Non usitata, et caeca ambage dramatum.
Quaerunt, quam nunquam inveniunt extra pulpita
Scenarum, vitam, transferunt et in domos,
Nacto conjugio, quod earum subversio
Sit: iniquitate suscitante libidinem,
Sursum et deorsum quae confusa det omnia,
Majorum sub imaginibus id videntium,
Pene supercilio reclamante inaniter
A familiari funditus naufragio.

PHALEUCIUM
DE PETRONILLA, ET COMMODILLA.

PETRONILLA decens honore formae,
Et pensis operosa cum modesto
Cultu corporis, odit esse nota,
Occursum, atque oculos cavens juventae.
Ejus dissita more Commodilla
Delectatur ovans celebritate:
Nam matris studio, vel hos vel illos,
Submissa effigie nigrante Solis
Incursu ac opera, petit tenere;
His ab insidiis dari maritum
Sperans multiplicis favore chartae.
Olet stultitiam parentis astus;
Et quem filia vellet invenire
Unum, semper abest timore nodi.
Palam nam facilis puella mulcet
Plures, et speciosa terret unum.

ELEGIACI.

AD RUDOLFUM MINZLOFF v. cl.

Vis tibi versiculos dare me. Nasone pöëta
 Utere: longe alios desine velle meos.
Felix ingenio fuit ille, parique Camoena;
 Liberum et a curis exhilarabat amor.
Haec pars aetatis melior fuit ejus in Urbe:
 Altera sed subîit pejor ab exilio.
Sub nive Sithonia tamen esse in vatis honore
 Eloquio potuit conciliante Getas,
Et statuente sibi monumentum barbariei
 Nobile, quod posita durat adhuc statua.
Barbarus inter eos patrii sermonis ab usu
 Nempe videbatur, nec tamen ille fuit.
Corda trahebat enim, cithara resonante quod esset
 Auribus, ingrato tempore, dulce melos:
Barbarie media de barbarieque triumphum
 Sic egit, procul a Caesare, laude pari.
Ergo Tomim migrare decet nunc, siquis apud nos
 Sentiat Aoniis ludere posse modis.
Namque obsurdescunt vivi plerumque, per omnem
 Italiam, Latii vocibus, ac numeris.
Sed pietate carent etiam; neque gratia floret
 Hîc, ubi supplantat vis idioma vetus.
Dicunt obscurum quod habet gravitatis odorem,
 Posset ad antiquas et revocare vias.
Ergo *vale* dicto, nulla subeunte salute,
 I, pete sponte Tomim; merce libelle levis.

Huc et apud statuam Nasonis, nomine in uno
  Confer cum chartis omnia scripta mea.
Sit cumulare pyram congestis qui velit illis,
  In flammas abeat vatis et omne penu.
Fumus eat longe et late fastidia nota
  Italiae faciens artis, opisque suae;
Inde super pulcro peregrinis jus datum, et aequo,
  Atque abjuratam, quae fuit ante, fidem.
Tu vero exequias cantabis, amice: nec ulla
  Intersit guttis praefica flebilibus:
Sed cinis inficiens oculos atque ora videntûm
  Prae Borea, invidiae poena tenacis erit.

I. AVARUS.

Quid sit avarus opum, veteres plerumque solebant
  Fingere in aegroto semper habente sitim.
Hoc sed agens secum fert ille ab imagine morbi:
  Quam sit edax, aliis damna suprema parans,
Noscitur ex hedera, quae fertilis articulorum
  Implicat arboribus se, saliensque viret,
Et viget exsugens alimento quod sit earum,
  Donec ad interitum vi peredente trahat.
Sed super arboribus (nec longum tempus) adustis
  Ipsa eadem moritur, pendet et apta foco.

II. SENATUS.

Esse senatores ab honore, situque senectae
  Accepi dictos, nec sine mente puto.
Sed situs obsistit plerumque minoribus aevo,
  Quorum est munditias excolere, atque sequi.

Sic neglectus honor rugosae it pellis amictu:
  Nam possunt juvenes vix tolerare situm.
Hinc infirma fide fiunt consulta senatus;
  Iunior optatis canitiemque praeit.
Publica res ideo divertit ab ordine recto;
  Vir bonus et prudens despiciturque cute.

III. MERGELLINA.

Hic ubi tuta sinu fit Mergellina recessus,
  Et statio furtis commoda compositis,
Flebat apud saxum rubicunda dolore puella:
  Anulus a digito nam resolutus erat
Praeda maris, longas eludebatque querelas
  Cum votis, refugas more secutus aquas.
Improvisus adest, trepidam miseratus et Alcon
  Littore ab algoso praepes it in pelagum.
Nec mora longa, redux retulit piscator ab imo
  Quod fuit incensi causa doloris adhuc.
— Ecquid erit pretii, quod tu pro munere tali
  Solvere non dubites, bella puella, mihi?
Parva peto, nec honesta minus: dare basia labris,
  Mox oculis etiam me sine turgidulis.
Integer hoc faciam: tibi si poteritque placere,
  Unum restitues: sis memor inde mei. —
Quod tunc optavit, tenuit sine testibus Alcon;
  Post paullo felix conjugioque fuit.

IIII. DE NARENTONE PRAECEPTORE.

Narentonis opes superant portenta Milonis,
  Cujus habet Croton vi grave nomen adhuc.

Hicce bovem vivum dorso circumtulit: ille
  Vivificans asinos arte magisterii,
Fert ab honore scholae ad rerum civile theatrum;
  In coetu ut sedeant consiliante patrum.
Magnum est, auritos implere sedilia cillos;
  Majus habére boum pondus in urbe sua.

V. AEDON ET CORNIX.

Fraxineas inter frondes dum cantat äëdon
  Flebile quod dici possit, itemque placens,
Ilice ab adversa cornix infesta strepebat,
  Idque videbatur vi facere invidiae.
Vir fuit hanc vellet qui deterrere molestam;
  Invitus sed eam voce fugavit avim. —
Gratia sponte venit, gaudetque recepta teneri:
  Sed fugit, ex aliis dum timet ipsa sibi.

VI. COMETA EXITIALIS.

Esse cometarum plerumque praeire ruinas
  Dicunt regnorum sidere funereo.
Deletos reges Germania vidit, ut inde
  Imperium fieret Martis ab arte novum.
Quod vi compactum est, utinam consistat amore
  Moribus ornatum, legibus atque bonum!
Nemo cometarum (malus est si spiritus intus)
  Communis patriae nobile turbet opus.
Sed cedant tandem arma focis! requiescere detur:
  Fulgure nec ferri pax videatur onus
Urbibus, ac populis per vectigalia dura
  Bellorum furiis intolerabilius.

---

vII. SUPERBIA ET PATIENTIA.

Implicita humanis plerumque superbia rebus
Quid conferre boni possit, amice, petis?
— Nempe id quod Christo Satanas dedit hostis habendum,
Nobile doctrinae, perpetuumque decus. —
Omnia vincit enim patientia durior ipsis
Cautibus, edomitas queis mare sentit aquas.

---

viiI. FELIS ET AVIS.

Felis apud vitem secum contracta jacebat,
Ullus dependens unde racemus erat.
Venit avis, rostro exsugens quae figeret uvam.
— Abstine: — ait custos felis — ego advigilo,
Ne quis contingat, nisi Bacchus. Avicula contra
— Bacchus abest — dixit. — Tigris at ipsa veto —
Voce refert felis metuenda horrore pilorum;
Tunc etenim meminit tigridis esse soror.
Hinc sed avis fugiens, sitientem pellere ab uva
Lamentabatur quod licuisset adhuc:
Nam libertatis communes munere sunt res
Tempore, quo populi vis manifesta jubet.

---

viiiI. HIRCUS ET APER.

Myrtus habebatur Veneri sacra: nullus in umbra
Constitit ejus aper, qui scelus intus olet.
Dente ferocis apri periit nam pulcher Adonis
Caesus, Acidaliae maxima cura Deae.

Hircus aprum invenit cui persuaderet, agendum
Ut myrtus Veneris strata jaceret humi.
Solis ab occasu taciti potuere cavando
Eruere hanc, foliis et spoliare suis:
Ire videbantur mox ipsa fraude superbi.
Hesperus hoc facinus vidit, et obstupuit.
Mane novo occurrens implevit Cypridis aures,
Ulcisci in myrto quae sua damna velit.
Marmore mutari Dea fecit utrumque, et eodem
Sistere, quo fuerat myrtus opaca, loco.
Annua serta ferens ex myrto, rustica pubes
Ante pedes horum saltat, itemque canit
Idaliae Veneri laudes; in marmor utrumque
Quin et quisquilias, et mala verba jacit.

X. MARTHA, ET MARIA.

— Invideo crines tibi: — dixit Martha Mariae.
Ast ea: — vellem oculos, inquit, habere tuos.
Omnia prospiciens etenim complecteris uno
Intuitu, officiis dedita tota domus.
Ipsa fleo, et sedeo. — Sed flens, ait altera, linguam
Das oculis, moveant ut pietate Deum. —
Sic placet ante omnes philomela canora querelis:
Nec quidquid vocum est, plus probitatis habet.

XI. CAECUS AD SEPULCRUM.

Nil mihi cum sole est: — dicebat caecus ad urnam
Cernuus, et lacrymis oscula mixta dabat.
— Nec vidi, jam nec tetigi te, sancte virorum,
Munificum expertus pro bonitate tua;

Qui fugitivus eras laudum, tibi cautus ab illis,
  Semper et occultans, post benefacta, manum.
Caecus ego tribuo, quod possum voce, merenti.
  Ut caream visu, mentis ab intuitu
Te sequor ad sedes virtutis honore beatas,
  Pauperum et in regno testor habere locum;
Testor et a Christo Jesu retulisse coronam,
  Quam meruit pietas, et tua magna fides. —

XII. CONTAGIO PEREGRINITATIS.

Esse geographicus, nihil esse domesticus urges
  Utilibus curis: respice, Paulle, tuos.
Te fecit natura patrem, res publica civem.
  Ecquid adest quod non sit patriae, atque domus?
Cur longinquus agis, studiis stimulantibus, ut sis
  Advena, sepositae semper et hospes humi?
Cur peregrina petis, qui rura paterna colebas,
  Spe circumscribens, quas daret annus, opes?
Ad tua septa redi: cupidis permitte vagari,
  Qui de majorum nîl tenuere bonis.
Tu quod habes, serva tibi, gnatis, atque propinquis,
  Relligione colens, qui dat habere, Deum.
Haec brevis est ratio, qua felix sis, et in Orbe,
  Qui patet immensus, dives in arce domus.

XIII. SORORES QUATUOR.

Hic habitant veneres, quas dicunt quattuor esse.
  Tres Paris Idaeus vidit; et una tulit
Pomum, discordes geminas quod fecit ab illa
  Sic, ut Troja odiis usta jaceret humi.

Quattuor ante focum concordes vivere miror,
  Mobilibus fusis exspoliare colos;
Vellera lanarum conferre decenter in unum,
  Quae sint alterius ductile lucis opus:
Audio mane novo praesumere pensa canentes.
  Accedat thalami qui velit esse comes
Unius et conjux; quam scena domestica praefert
  Pacem, intercipiet motibus invidia:
Quattuor interius turbatus et ordo sororum
  Ostendet, Furias tres superesse domi.

XIIII. HYPERIDES ET PHRYNE.

Hyperides voluit Phrynen convincere lingua,
  Virtuti ut fieret, justitiaeque locus.
Coram judicibus patefacta sed illa figura
  Corporis, et formae sidere, visa Dea est.
Mens et Amor duo sunt, quos si concurrere in unam
  Sit speciem, stupidus fit vir, et ore tacet.

XV. SOCRATES ET THEODOTA.

Socraticos Theodota oculos potuisse morari
  Dicitur a forma pectoris amplifica.
Palladis haec laus est, in concilioque Dearum
  Prima tenet. — Sed amor pectore concipitur,
Corde alitur, mentem ut stimulis incessat opertis,
  Erumpat flammis denique nobilibus.
Flamma salit, chartisque volat paritura Petrarcham.
  Sicubi descendat, fit cinere usta filix. —

---

xvI. PRÆDURA DURITIES.

Durior esse faber ferro, quia molliat illud,
Dicitur, et mulier durior esse fabro.
Nam quibus indulget, vires deducit eisdem,
Ut sint enerves, mox animisque cadant.
Qui cecidere, fidem de se dant ore, oculisque
Esse in eo ut pereant, saepe tenentque mori. —
Disce, puer, vitare gradu loca tetra luparum.
Illic mors habitat, suntque venena luis.

---

xvII. HOSTES HONORIS.

Sunt ab honore hostes, laus, atque calumnia: mordax
Haec est, alliciens ast ea blanditiis.
Felis, itemque canis latere ex utroque quietos
Sic nos esse vetant, et vigilare jubent.
Invidia obnubens it tertia, nomen et urget,
Quod clarum fieri non nisi morte potest.
Ergo volare decet, nec utrinque timere, peritos
Ante obitum insidias fallere, vimque simul.

---

xvIII. DE VIOLANTILLA.

In Violantilla tria vespertina notantur:
Quod sua dimittat pensa; quod ad speculum
Confugiat, seque involvi velit omnibus omnem
Mox ornamentis, quae novus usus habet.
Inde sedet vestis spectanda volumine, donec
Hora theatralis principe turre sonet.
Illa recedit amans se. Quid si forte redibit
Alterum amans a se? Sunt ea dona loci.

Qui tentare lutum pede vult, lutulentus abibit.
  Nonne dabit laesam scena pudicitiam?

XVIIII. IN MULIERES FUCATAS.

Quae faciem inducunt fuco, et candore nitentes
  Esse volunt, succis inficiuntque comas,
Alteram ab ingenii venantur acumine formam
  Induere, atque oculis aedificare dolos.
Mirantur quod adest, decepti fraude colorum,
  Queis retulisse putat femina, quod fuerat.
Sed color omnis habet (quantumvis callidus extra)
  Quod male rugosa pelle senecta tegat.
— Bis puer est senior: — sed anus non dicitur esse
  Posse repubescens. Fata, Deusque vetant.
Namque bonum semper pulcrum est: abeunte pudore,
  Raro bonum in pulcro est, quem fugat arte color.

XX. PENELOPE.

An sit Penelope, quam fabula narrat Homeri,
  Inter anhelantes sub sua tecta procos,
Unus, et alter adest veterum dubitare malignus;
  Pellere nam potuit, quos operosa tulit:
Debuit immo etiam, multiplicitate perîcli
  Ne caderet. Telae perpetuum obstet opus,
Propositum et fidei constans, absente marito:
  Ast ancillarum desidiosa manus
Pervia blanditiis erat, insidiisque procorum,
  Sub canis excubias (hoc et Homerus habet).
Quis scit ab exemplis fieret nurus anne Läërtis
  Casta, vel ipsa minor laude pudicitiae?

Sub dumeta latens rosa pulcrior esse laborat;
Rara sed occurrit. Penelope illa fuit.

XXI. MERCURIALIS FIDES.

Quae dedit ex auro Fortuna tenere quod obstat,
Ne sit liber homo, serviat atque lucris,
Ecce vomit chartas, ne sit numerabile pondus
Illud, inane schedis indicium sed opum.
Mundus uterque scatens hac merce, videtur amare
Hisce vagam chartis, sorte favente, fidem.
Quomodo rara fides ergo dicetur? Ab aris
Exul, et a thalamis tota forensis adest.
Et fiet meretrix inimica pudoris, iniquos
Quae decoctores protegat aucta dolis.

XXII. TALPA.

Non semper sequitur Fortuna fideliter illos
Quos vult a latebris eruere, atque luto.
Talpa cathedrariis fuit adnumeratus, honore
Non exspectato, quem meruisse putat.
Mutus at inventus, cito praecipitatus ab alto est.
Scamna scholae rident: ille receptus humo
Cognatas intrat tenebras, mercede sed auctus,
Quae rude sit minimi grande magisterii,

XXIII. METICULOSUS.

Quattuor invenio tecum esse obstacula vitae.
Quod sedeas, quod eas, quod dubites, quod agas.

Fert opus ire, sedes: fert obfirmata voluntas
  Quid facere: in dubio te teris, inque metu.
Otia sic sequeris, siquando exire necesse est,
  Praeripere atque aliis utile quod tibi sit.
Idem etiam prudens fieri moderamine nescis,
  Sistere deberes dum sapienter iners.
Quisquis es, accumulas causas tibi nempe, et amicis,
  Queis possis dici temporis antithesis.

XXIIII. ARS VITAE.

Ars est in vita, fratres quae jungat amore,
  Proxima naturae, nec tamen illa parens.
Vix tolerat natura duos habitare, et habere
  Quod commune simul sit, propriumque simul.
Primus Abel docet, atque Cain, quo fine cadat res,
  Subdita fraternae sensibus invidiae.
Ars ergo est vitae, quam qui complectitur usu,
  Ille negat sibi se, dedicat atque Deo
Rerum hominumque Patri super omnia secula vivo
  Cultum humilem tribuens, legis amore suae.

XXV. FOLLIS.

Follis eam ventosus ago vim, cujus ab ira
  Turbatur campis aër, et aequor aquis;
Ignis edax alitur virtute licenter eundi,
  Deserta et tumulis pulverulenta scatent.
Æolus esse potest moderator et arbiter, ad me
  Quicumque accedat, dimoveatque manu.
Machina sum, quae damna fero, si flatibus exlex
  Irruo: sed, si quis me regat, aequa juvo.

Mens hominis habet imperium super omnia, quae se
Officiis vitae dant adhibenda suae.
Stultus at hic dici debet, si tendat abuti:
Nulla est ex opera machina stulta fabri.

XXVI. INSOMNIS POËTA.

Esse domum Somni credebam insomnis, et ibam
Quaerere per noctem devius, atque vagus.
Claustra pererravi, locupletûm limina adivi:
Nîl mihi de Somno noscere utrinque fuit.
Hinc celebres coenae, jejunia et inde vetabant,
Cum risu atque jocis, in cinere atque prece.
In grege pastorum sperabam hunc posse tenere;
Ad caulas sensi sed vigilare canes.
Venantûm offendi latebrosum per nemus ullos,
Nec responsa mihi de fugiente dabant
Fida satis. Piscatores tunc retibus actis
In mare, scitatus sum, nec habere fuit
Indicium, quo persequerer vestigia Somni.
Hunc tamen audivi valle cubare cava.
— Haec cava vallis ubi est? — Passerculus antevolando
(Dixit eorum aliquis) dux erit ille tibi.
Illico suscipiens feliciter ire, quievi
Tandem etiam in gremio, vallis amoena, tuo.

XXVII. ASINUS ET DOMINUS.

Illud ridendo est (Heraclitumque moveret
Ad risum) ex asino quod fuit aspicere.
Hic phaleratus heri cisium leve sponte trahebat,
Et gressus glomerans prorsus equester erat.

Detractis phaleris, amplectebatur eundem,
  Ut frater fratrem. Credidit hocce videns,
Qui vidit domini ad nutum se ferre metipsum
  Arrectum: sed mox anteriora pedum
Sic improvise demittere, sic et acerbe,
  Imos ut digitos laederet ejus heri.
Magna querela fuit: lacrymosa dolere sed uxor,
  Quod decurtari vir pede possit adhuc,
Tundere et hinc asinum; male post alimenta, locatis
  Et de blanditiis insimulare virum. —
Discat, delicias in vulgi ponere amore
  Qui solet. A stolido gratia semper abest.

XXVIII. DORI—LEA.

Cur nam diversa sic indole nomen in unum
  Conveniunt animae Doridis, atque leae?
Matrona est Doris, cui deberetur Eöi
  Thuris odor fumans, et Cybelaeus honor.
Nam gravitate sua praetendit, amore metuque
  Quod dici possit cultus in ore Deae.
Est lea juncta mari generosae stirpis, habenis
  Subdita, Caelicolûm quas regit alma Parens.
Sic Dorilea procos mirantes comprimit omnes;
  Illecebrasque cavens, gloriolamque levem
Praestantis formae, manifesta pudore genarum
  Arguit insanas futilitatis anus:
Namque placere student, et fuco fallere, tantum ut
  Sit vir, quo dicant: — me tamen ullus amat. —

XXVIIII. TESTUDO, CANIS, ET APES.

Circa examen apum testudo videtur amore
  Repere mellis. Adest, et latrat ore canis.
Intus apes fremere, et mox extra bella movere.
  Testudo obducit se, retrahitque domi.
Circumeunt frustra tentantes laedere eandem,
  Interius positis quae timuere favis.
Cuncta cohors infesta cani tunc mella tuenti
  Latratu fido convolat, inque fugam
Vertit. At ingratas subitaneus aëre nimbus
  Turbine confundit, pulvere contumulat. —
Qui vidit, super excidio meditatus earum,
  Naturae, et fati judicis arbitrium
Versibus imparibus voluit concludere: et illos
  Hîc tibi subjicio, lector amice. Vale!

XXX. LUCERNA ET POËTA.

Fida lucerna mihi dare versus jussa tot annis
  (Versus enim nomen lucis habere potest)
Dic, bona, quid facies post mortem denique nostram?
  — Illustrare tuum funus, et inde nihil.
Cuncta suprema solent memori sub mente recondi
  Dicta, et facta: fidem tu tibi tolle meam,
Postea servitium meme nullius inire
  Velle: satis tecum nam vigilare fuit. —
Fida lucerna, vale longum cum duplice myxo!
  Hinc tibi splendores sunt, oculique duo.
Quicumque accendens, oleo det habere quod omnes
  Luceat in noctes, te sibi coget ali.

Sic iterum, quod eras, fies: ego mortuus umbram
  Servabo tumuli liber ab invidia,
Liber ab ore canum, qui latravere Latinos
  Adversus numeros, Italicamque lyram.

XXXI. MENS ET COR.

Est in judiciis hominum vitiosa metu mens:
  Spes est in sensu nec vitiosa minus.
Audet hic, illa cavet, laqueosque sophismate nectit,
  Ut quod amore calet, frigore fiat iners.
Felix qui potuit medium servare duorum!
  Ut sit liber homo, rector et ipse sui.

XXXII. SUICIDIUM.

Nolle mori stultum est: quod agunt plerique pöëtae
  Qui praeter tumulum vivere voce putant.
Morte perire data sibi, stultius esse videtur,
  Ante superveniat quam sua cuique dies.
Hic praeceps it aquis, laqueo suspenditur alter,
  Aut plumbi glandes optat ad illud opus.
Utitur hic acie ferri, bibit iste venenum:
  In se quisque ferox finis amore furit.
Velle mori tamen humanum quis dicet? Ineptum
  Hoc est philosophis impietate novis,
Et sceleratum aliis, si libertatis abuti
  Quis velit arbitrio, perdere seque nece.
Stultitiae tamen hocce genus minus horridum habetur
  In praesens. Ideo philosophia tumet,
Eripiensque Deo sua tela, immaniter in se
  Convertit, tollens caede, quod Ille dedit.

Magnum est hoc facinus. Fit victima, fitque sacerdos
  Ipsa sibi injiciens philosophia manus,
Ut sit in exemplum doctrinae testis iniquae
  Ante altare Dei, quae negat esse Deum.

---

xxxiiI. SPES ET TIMOR.

Impulsu duplici caelestia corpora ferri
  Cernimus in gyrum, nec variare vias.
Sidereus sic ordo manet, terrestris ut infra
  Exemplo evadat rerum hominumque pari.
Sunt spes atque timor geminae sub pectore vires,
  Queis animi ad vitae pene trahuntur iter;
His et circumagi, virtute ferente, videntur,
  Derivata Deo quae reverenter amat.
Hac homo divisus terris, fit amore, metuque
  Æmulus astrorum, major eisque fide.
Et fidei meritis praetervolat ostia mortis,
  Vivus in aeterna pace Deumque tenet.

---

xxxiiiI. IN OBTRECTATORES GRATIAE.

Gratia quod sit iners, et ineptos rebus agendis
  Ipse eadem faciat, debilitetque viros,
Plurimus ardelio scriptis disseminat: ac si
  Nullum pacis opus sit grave more, fide.
Destruere! id vobis opus est ubicumque locorum,
  Turba balatronum. Quaeso, quis aedificat
Postea? vel quid erit quod stet, nisi Gratia vivis
  Denique commendet temporis alterius?
Dantur multa typis, pinguntur multa; sed ejus
  Lumine si careant, despicienda jacent.

XXXV. DE VIOLATIONE ARTIS MUSICAE.

OMNIA vi fieri nunc accidit: ipsa videtur
  Musica res numeris omnibus, atque modis
Conjurare pium in sensum, aspernata priorum
  Pensa magistrorum, Gratia quos aluit
Princeps, et scenis dedit esse in honore coronae,
  Atque salutari plausibus inter opus.
Rossini Jôachim, poteris, dulcedine cantus
  Posthabita, interdum cedere forte loco,
Ut fiat strepitus, castas qui vulneret aures,
  Gratia sed tecum vivet in ore virûm:
Vivet, ut Italiae decus, et pudor artis honestae
  Comminui externa non patiatur ope.

XXXVI. HIRUNDO REDUX.

ECCE iterum domus haec celebratur hirundine nidis
  Suspensa, exilio quae procul esse tulit.
Sponte redit: nemo sit qui turbare receptam
  Audeat, et quid agat velle videre palam.
Mater erit; feret ova, quibus cum compare tecti
  Incubet, et foetus nutriat inde suos.
Cuncta silere decet circa mysteria vitae
  Ante peregrinae simplicitatis aves.
Candida simplicitas jamdudum moribus exul
  Dissidet a nostris; semine nulla suo.
Sint quae nos doceant excelsa a sede volucres,
  Secreto fieri quod reparare juvat;
Quantumvis ratio velit impietate superba
  Naturam intuitu sollicitare malo. —

xxxvii. DAVID ET SALOMON.

Pastor erat David, funda qui perculit hostem
  Mole gigantaeum, major et esse Saul
Tunc cepit meritis, ut chrismate denique, inunctus
  Rex esset, genito sed Salomone minor.
Ille Deo ingratus mala multa sibique, suisque
  Intulit, emendans mox pietate nefas.
Hic docilis, quae corde humili concepit, ad unguem
  Perfecit, statuens splendida templa sacris.
Inde fuit sapiens super omnes, omnibus acri
  Judicio praestans, proximus atque Deo. —
A virtute Dei vim derivare, fidemque
  Juris apud gentes, optimum ut est, id erit.

---

xxxviii. IGNOTO · DEO

Areopagitas sapientia scripta docebat
  Judicium legis, philosophante schola.
Judicium fidei docet advena Paullus, eosque
  Arguit ignoti de ratione Dei.
Distinuere omnes, quod disseruisse juvaret·
  Illic doctrinae de gravitate novae.
Unus at arripuit Dionysius orsa salutis:
  Hunc sequitur Damaris femina sola fide.
Martyr ovans capite ille monet quid possit amore
  Gratia: post mortem vivere namque jubet.

---

xxxix. PECCATUM INGENII.

Explevit Romana odii qui vota veneno
  Hannibal interitus conscius ipse sibi,

Ingeniis facile ostendit debere, laborum
In cumulum, aetati quid capitale suae.
Qui reus afflatus suscepti caelitus infert
Nomine se vatis, vultque placere foro,
Prometheus redeat damnandus corde necesse est
Morsibus obtrito, sed revirente statim.
Stultitiem sanare fide nam stultitiei
Divinum est: plures nec liquet esse Deos.

XXXX. ORIS PRAESTANTIA.

Os HABET in vultu quid majus habentibus ictum
Luminibus, quo se sât violenter agunt.
Gratia circumstans nam labra coralina, dentes
Sic movet, ut verbis lingua soluta sonet.
Judicium ex oculis prodit, sententia linguae est,
Qua misere afficitur, vel recreatur amans.
Os si quando negat tamen, adsertorque pudoris
Fit coram temere sollicitante viro,
Cogitur ille spei contractis cedere velis,
Irrita et optati vota referre sui.
Durum est infectis alas demittere rebus:
Grata sed est etiam voce repulsa deae.

XXXXI. ECHO ET APES.

CUR fugiant loca, quaeris, apes quae personat Echo
Non explebilibus semper biulca modis?
Garrulitas rebus quantumviscumque pusillis
Officit, et vires detrahit inter opus.
Consilium accumulat patientia muta, tenetque
Fundare utiliter quod sit ab arte manens.

XXXXII. SUTOR ET MUSCA.

Sutor acu pannum dum gnaviter adsuit ullis
  Telarum textis, musca molesta nimis
Intercessit, et injectae sub cuspidis ictu
  Difficile exemplum caedis in arte dedit. —
Est qui continuat, quam tecta calumnia suadet
  Ire, viam. Caveat! sum quoque sutor ego.

XXXXIII. IN FLORIMONTIUM.

Gryps exspectabat flores a monte pòëta,
  Pasceret ut nasum flamine odorifero.
Sed rudis upilio plus, quam sint saxa Lycaei,
  Attulit a malvis quos dare terra solet,
Quos et habet spinis admixtos carduus horrens.
  Laesus ab his vates, impete bilis ait:
— Rupex! stipes agri! saltem deferre genistas
  Ad nasum poteras tu, cerebrumque meum. —
Upilio, prope mentis egens, haec voce reponit:
  — Has ego delicias inter amare sues,
Et vaccas didici: stant sub juga longa genistae;
  Inferius positi nos habitamus humum. —
— Tantalus o utinam fias habitator Averni!
  Hic ubi tres *Vati* * non nocuere *canes*. —

XXXXIIII. DE TYRANNIDE PUERILIS INSTITUTIONIS.

Sunt qui praecipiant res, queis natura resistit
  Parvula, curriculo nec satis apta scholae.

* i. e. Orpheo.

Lacte interdicunt, ad pabula migret ut ipsa,
Praevertatque suam vim, rationis egens.
Quis furor? ut summis peregrina scientia labris
Haereat, aut stomachum cruda labore premat.
Frustrari eventu in studiis, nihil ergo dolendum est,
Oppressa injustis fascibus ingenia.
Quod petîere tenent a praecoce laude magistri,
Sumere primitias, fruge carere simul.

XXXXV. AD MATURINUM.

Ante suum tempus quod ego mea scripta typorum
Vulgari metuam jure, operaque, doles.
Jus necat audaces, praevertere qui male tendunt
Judicium de se posteritate ratum.
Utilitas libris induxit pene furorem
Sic, ut emi cupiant partubus ingenia.
Sed quod ematur, habet post paullo venditor ullus
Suminis, atque gari, moxque latrina vorat.
An non grana tegit, qui seminat, intus et abdit,
Cunctando eveniant ut bene mense suo?
Maturus prodire volo; dare meque sepulcro
Non dubito, ut vivam post mea fata redux.

XXXXVI. EXEQUIALIA VATIS.

Rumor ab exequiis in funere vatis, habetur
Indicio famae, quae superesse velit,
Atque domare, fide mansuri carminis, annos:
Quod sibi deberi quisque pöëta putat.
Sed raros tenuisse liquet; quia rara pudore
Laus est, blanditiis et minus aequa lyrae.

Tempus adulantes sibi praesens evehit, absens
  Deserit, inque sono vocis abire jubet.
Ergo breve est stadium celebrati nominis inter
  Phoebaeos stimulos, invidiaeque moras.
Ille sibi melius prospexit, diligere ausus
  Justitiam qui se sistit in ore Dei,
Omnia cui referens accepta, recumbat in una
  Ejus spe sortis, quae sine fine beat.

---

xxxvii. PRUDENS, ET HONESTUS.

Vir prudens omnes numeros a scientia
  Habere videbatur; sed honestus nihil
  Res in se conferebat utiles sibi
  Per fas nefasque, nulla conscientia.
  Echo est interior haec, quae muta judicat,
  Et morsu loquitur admonente fideliter.
  Malus obsurdescit, dat se docilem vir bonus.
  Multi per coetus sunt gradus scientiae;
  Nulli sunt sed honestatis in vita gradus.
  Honestatem qui despicit, ille est pessimus.

---

xxxviii. NAUFRAGIUM ÆQUITATIS.

Juris apud scopulos, rapiente libidine legum,
  Pergit obire suum publica Navis iter.
Remigio morum contra nec proficit hilum,
  Antea quae fuerat Philosophia vigens.
Scinduntur studiis, varia ratione scholarum,
  Esse gubernâclo qui voluere pares.
Paret nemo, jubent omnes in nomine scriptae
  Legis, ab arte mala quae fit ubique gravis.

Sic ablegatur violenter id omne quod aequum est;
  Justitiaeque jugum dicitur esse leve,
Fraudibus arbitrii quamquam experiantur iniquum,
  Queis erat in votis patris amore regi. —

XXXVIIII. ORBIS TERRARUM ET TEMPUS.

Cum ratione sua stat Temporis ante tribunal
  Qui viget usque recens Orbis, et esse vetus
Dicitur his, quorum est miscere vocabula rerum,
  Puls una exstructis fiat ut historiis.
Tempus ait: — Quid tu in partes divise quaternas,
  Aut etiam quinas, parturiente mari,
Quid profecisti, mihi conjugis atque sororis
  Pone magisterium Sortis, eunte rota?
Sperabam Babylona tibi cum turre suorum
  Exemplo fore, ne te dare mentis inops
In praeceps velles vertigine captus. Habes nunc
  Quod vitare pia fas erat usque fide.
Linguarum nodos quisnam explicuisse tot inter
  Te poterit? Pereas! namque perire datur.
Hoc unum tibi restat. Ego tua fata superstes
  Narrabo generi, legis amore, novo. —
Orbis ad haec: — Quid enim insimulas me criminis hujus?
  Excute rectores, Tempus inane, meos.
Quos Deus esse dedit, colui; nec posse putavi
  Ire unquam obliquos, praecipitesque viis.
Naturae violare sinum voluere repertis
  Divitiis, et se perdere avaritie.
Obstupui, ingemui nequidquam, mole rotunda
  Per juga, per valles, per mare laesus ego.

Divisum quod erat, sensi sine limite jungi.
  Mutus aberravi cum grege. Parce mihi!
Haec ratio, haec una est, quae possit honesta videri.
  Grex pereat; justum est: sed mihi parta salus
Ejus ab excidio, dabit absorbere ruinas,
  Se quibus imponat gens memor esse Deum. —
Donec erunt pauci locupletes, pauperiorum
  Maximus et numerus (quod vice perpetuum est),
Credite, Christus erit! vel cuncta humana redibunt
  Fratrum dissidiis ad loca caeca chaos. —

L. AD URBEM ROMAM.

Roma perenne caput mundi, mansura palaestra
  Artibus, et studiis omnibus ingenuis,
Qui te dixerunt putei munimen ab haustu
  Rerum antiquarum tempus in omne novum,
Sceptra magisterii tibi contribuere merenti,
  Exempli si fit vita virilis ope.
Quis non ante tuum monumentis nobile septum
  Obstupet, interius concipit atque metum?
Sacra tuis templis fis relligionis acerra,
  Thus et odor cultus diditur unde Dei.
Ipsa profana places; nam pulsa ligonibus effers
  Quottidie, veteri quod sit ab arte recens.
Terret in Ægypto Sphinx, ut miracula septem
  Orbis ab immensis molibus, atque statu.
Tu fax sêclorum praefulgens intus et extra,
  Semper inexhausta luce stupenda micas.
Diruta, mox rediviva etiam virtute favoris
  Divini, reparas te cavitate tui.

Edita deficiant, ostendis operta ruinis,
  In quibus est fastus amplificare fide.
Diripiuntur ad externos migrare coacta
  Membra; tuis muris attamen ipsa manes:
Sicque gigas terrae attactu immortalis, ab imo
  Surgis, et aeternum te caput esse probas.

LI. POETA AD LIBROS SUOS.

Suppetiae veteres studiorum, et laudis honestae
  Instrumenta mihi fida, valete, libri!
Me fert hora mori mea: sunt hic semina leti
  Radice occulta, perniicieque gravi.
Jam satis est potuisse malo canere omine finem:
  Picus ego, et cornix namque sinistra fui.
Picus erat Marti sacer: et bellata fuere
  Bella mihi, lingua nîl metuente loqui
Adversus genus omne hominum, novitate volentûm
  Doctrinae, astrifera sede movere Deum.
Per loca caeca viis naturae matris adivi
  Viscera: nec cornix me mage nigra fuit.
Inveniam pacem sub terra, cujus ab imo
  Eduxi *Scalam*, quae foret arte salus.
Mille ego millenis coacervans versibus, uti
  Eloquio volui duplice, fine pari.
Finis erat patriae, ac morum reparare ruinas,
  Nec fieri externos nos cute velle pati;
Nec cute, nec sensu pulcri, rectique per artes
  Ingenuas, quarum est culmen in Italia.
Tempus obest — obsit: nebulae sic solibus obsunt,
  Sed non interimunt luminis id quod adest.

Lux est a summo; Divini Auctoris et auget
  Laudem cum stellis, dum per operta micant.
Nox etenim juvat ipsa polo praetenta sereno,
  Quae vice perpetua deficit ante diem.
Hanc noctem nimbis condensam et nubibus atris,
  Saepe repercusso fulguris igne sacri,
Continuat Deus in praesens; si forte videtur
  Longior ire aliis, ne dubitate, viri,
Tandem etiam explebit sua munera, vique soluta
  Lucis, ad infernas se referet latebras.
Altera ab obscuro gens exorietur, amare
  Docta pias leges Relligione patrum,
Officiis et habere fidem, turbata licenter
  Quae nunc mutantur jure, foventque nefas.
Ast ego vobiscum, libri, leve nomen adeptus,
  Voce mea, et vestra laude superstes ero.

LI. JUS ET VIS.

Jus est in verbo; vis est ab acinace; utrumque
  Qui jungat, rex fit, lex ab eoque vîget.
Urbis Romanae sic lex ubicumque recepta
  Orbem Romanum fecit, et axe rotat.
Mutet terra vices; superent portenta: quod aequum est,
  Cedet, ut imperium vis sit amore carens.
Tunc furor armorum dominabitur omnibus oris;
  Et Plutocraticis grex erit esca lupis.

LII. AD LECTORES.

Amplector, dociles qui sint, criticosque repello.
  Pars prior est remedî velle salute frui.

ELEGIAE ET EPIGRAMMATA NONNULLA.

AD JOSEPHUM POGGIUM

TOTIUS REI MECHANICAE, ATQUE ARCHITECTURAE LAUDE INCOMPARABILEM.

Lamentabatur, quia valle cubaret amica
Floribus urbs Arni, quisquis adiret eam.
Æmula quod colles urbs impleat alta Senarum,
Esse videbatur major honore loci.
Poggius, ut capite aequaret Florentia princeps
Italiae regnum sortibus aucta novis,
Productam dedit a muris, clivumque subegit,
Ædibus amplificans vix numerabilibus:
Tiburis atque illic miracula condidit, addens
Quidquid in arte placens est, et ab arte docet.
Nullibi circuitu tanto tot amoena viretis
Exultare fuit, tempore tamque brevi.
Adrisit natura viro violenter agenti,
Dum sua pervadit viscera, clamque secat.
Namque coronavit despectu nobilis urbis
(Quanta est) deliciis accumulata super.
Det tibi Nestoreas, o praeclarissime Poggï,
Det Deus aetates, atque valere diu!
Nempe tuo ingenio fortasse minoris habebunt
Moenia Thebarum posteritate sati.
Dicitur Amphion movisse sequacia saxa
Voce lyrae; praesens tu sed abacta dabas,
Adjiciens patriae monumentum quod sit honori,
Atque omnem vincat tempus in omne fidem.

AD JOANNEM BAPTISTAM GIORGINIUM v. cl.

Ad culmen laudum studiis evecte Latinis
  Giorgini, numeris dives et eloquii
Temporibus miseris, Latii queis gaza perîsse
  Dicitur, annorum sed vice vivit adhuc,
Qui superaedificant Romae nova tecta ruinis,
  Obruere haud dubitant quod cubat arte vetus.
Stat decus antiquum base, demessisque columnis,
  Nec tamen emotis ordine porticibus.
Quanta docent patefacta locis monumenta laborum,
  Sed magis ingenii, quod grave lege fuit!
Peccamus levitate hodie: resipiscite, cives,
  Discere nec pigeat, quomodo duret honor
Rebus, itemque viris, etiam post funus eorum,
  Et quadam jubeat relligione coli.
Hinc gradus ad caelum est. Antiqua videntur habere
  Remigium alarum, nos ut ad astra ferant.
Nîl moror Ægypti miracula, pyramidasque,
  Palmyram, decora et Solis in urbe sua
Pene subacta solo. Sed in una sistere Roma
  Me juvat: obnitor namque capace animo
Exaequare quod intactum fuit ante, jacetque,
  Divinaturus qua ratione stetit,
Quo frontis splendore fuit, quibus instrumentis
  Evectae moles occuluere diem.
Umbra sepulcralis quianam de Sole profecta,
  Quas facit angustas, opprimit ipsa vias?
Sunt equidem tumuli speciosa palatia vivis,
  Castus ubi dubitat mos habitare situ.

Sed situs adveniet cum tempore: morsque sedebit,
  Virtus a proavis exulat unde, et avis,
Jamque fide avelli vitium est sollemne nepotûm;
  Donec ad interitum stirps sine prole ruat.
Diligite, o cives, retro quandoque referri
  Mente animi, tutum testibus ut sit iter,
Utile doctrina, progressu nobile, meta
  Divinum. Caelo pars sua quemque manet.
Illic nos erimus simul, atque videbimus iras
  Civiles luctu, congerieque lucri;
Mox etiam pacis redivivae munera sera,
  Certa tamen: nisi sit cuncta vorare chaos.

ROMA ONDE CRISTO È ROMANO. DANTE.

ROMA quid est? rerum caput ad civilia jura
  Servanda utilibus Relligione sacris.
Propterea Christus Romanus dicitur esse,
  Qui vita est legis, dux et amore Crucis.
Dic, ubi sint vivi curarum mole carentes,
  Urbibus ac domibus qui simul esse velint?
Ferre libenter onus, servire minoribus inter
  Fratres officiis vilibus, istud erat
Grande salutis opus, quo res aequare fuisset,
  Exemploque homines conciliare malis.
Sunt mala dura nimis per iter commune laborum
  Corporis atque animi, sorte parante mori.
Una est mors, omnes quae demetit inter eundum
  Non exspectata falce, premente tamen.
Stultus amat falli: qui prudens est, et habetur,
  Cogitat, in stadio quanta sit hora brevi.

Ire humilem, Christo praeeunte, quibuslibet orsis
Discit, et impositae pondus amare crucis.
Oderunt plures. — Quid tum? voluere salutem
Ablegare datam, non ideoque crucem
Distinuere suam, vel dimisere ferentes;
Quin etiam gravior, plus et acerba fuit.
Christus agit Romae, velut arce superstite pacis,
Inter aquas vasto gurgite diluvii.
Roma sed illa polus constans est vertice caeli,
Cujus stella micans altera Roma solo est,
Ut videant homines (nisi jam vidisse recusent)
Unde sit in cursu se regere ejus ope.
Officiant nebulae, aut nubes; illic ubi magnes
Indicat, haud dubium est, signa salute dari.
Praenitet hinc fidei vis, quae secreta revelans
Adjuvat ad metam, nec rationis eget.
Fidere nos fidei decet omnes, atque necesse est,
Crux nostra ut regnum fiat in arce poli.

AD SEBASTIANUM GALEATIUM

IN COLLEGIO CANN. FOROCORNELIEN. THEOL. DIGNITATE PRAEDITUM.

O Galeate, meum columen (quod ab arte typorum
Emendatus eam debeo quippe tibi)
Res vera est hodie, fuerat quae fabula ranae:
Namque inflata palam pelle stat ante bovem.
Sors ea debetur fumo, mihi crede, vaporis
Per mare, per terras praecipitantis iter.
Nunc et ad exemplum se quisque exaggerat ejus:
Cuncta humana tument, et tumefacta manent.

Esse peregrinus, perque intervalla moveri
 Nullus jam posset, si quoque vellet, homo.
Omnibus in rebus, studiisque ab origine rerum
 Pluribus est odio, despiciturque mora.
Hujus despectu patientia * maxima quondam
 Inter virtutes, urbibus exul abit.
Orbis utrumque latus quare contenditur actis
 Consociare viis, nec datur ulla quies.
Unus deficiat, subit alter, eoque sepulto,
 Exultat minimus de grege, fitque prior.
Nulla fides meritis: rapit omnes machina laudes.
 Praecipuum in vita est, quid facere, idque cito.
Quod fructu cunctatur, obest minuentibus horas
 Noctis, et oblitis tempus habere vices.
An non qui puer est, juvenis, vir forte, senexque
 Fiet ab aetatis conveniente gradu?
Emicuisse Tages sapiensque, bonusque magister
 Dicitur a sulco Tarquiniensis agri.
Mirum hoc: sed tales omnes non possumus esse;
 Explenda est annis nam sua cuique via.
Tunc maturus homo (quem non calidaria vitae,
 Atque scholae faciant, praecoce mente, virum)
Se prodet sensu, qualem domus optat habere,
 Ante rei curam, publica quae sit ope.
Fabricius, Curius, Cincinnatusque dederunt,
 Vivendi normam simplicitate rudem,
Sed virtute gravem. Virtus nativa probatos
 More tulit cives, atque potente manu.

* *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*
(Luc. XXI, 19.)

Omnia nunc vapor afficiens confundit, et idem
  Insultans spatiis spem locat ante metum.
Impetus est, nec amor, sequitur qui gesta; novasque
  Res semper perimunt, excipiuntque novae.
Dura fit ingeniis sic experientia vitae,
  Aut nulla, aut certe nobilitate brevi.
Una est utilitas in honore parabilis auri
  Ex usurarum turbine perpetuo.
Fenus inhumanum praevertit jura, Deumque.
  Usquam unquam potuit pestis an esse salus?
Debacchante lue, qui non perit, ille lucratur
  Intra tecta domus vivere: (et est aliquid).
Nos igitur, Galeate, domi, nos velle morari
  Certum est: excubias intus obire canum,
Adlatrare malis, et deterrere tagaces,
  Sudando partas ne populentur opes.
Cuncta vapor rapiat, deturbet et ordine coetus
  Urbanos: sospes sed sit amore domus.
Absque domo patria est nidus serpentibus aptus
  Agmine multiplici, calliditate pari.

XI. KAL. MART. A. MDCCCLXXIII.

qui dies est anniversarius ab obitu Philippi *patris.*

Care pater, mihi quod memori sit causa doloris
  Hacce die rediens quilibet annus habet.
Tu censu tenui voluisti, et rebus in arctis,
  Plus etiam pietas quam ferat, esse parens.
Namque mihi et fratri largitus maximum es illud,
  Cultura ingenii quod dare possit amor.

Nos adolescentes, disciplinaque subactos
Doctorum excepit cura, laborque virûm,
In melius nostram qui provexere juventam,
Ut tua de nobis spes bene fulta foret.
Per te nunc aliqua cum laude sedemus uterque,
Quo doctrina loco nos tulit esse pares.
Humanis studiis siquid profecimus olim,
Stare et in exemplum forte videmur adhuc,
Id tibi debemus nos; acceptumque referre
Nec me, nec fratrem dissimulanter erit;
Perspicuum ut fiat, sine mente fideque paterna,
Eventum prolis nullibi posse dari.
Discite, fumosi locupletes, ingerere aurum
Huc, jam nec mensis credere lucrificis.
Heres dives erit vester; sed ab auribus esse
Hunc asinum dicet libera turba fori.
Publica quin etiam res experietur ineptum,
Sicubi consiliis ille adhibendus erit.
Quid quereris, patria illustris, careas quod honore
Antiquo? haec radix est, et origo mali.

DE GREGORIO IIII. GHIKA.

Confirmare fidem, Ghikarum maxima laus est,
Et patriae ex Latio continuare decus *.
Graeca supervolitent; stant fundamenta Latinae
Stirpis: ut exilio si patiantur agi

* Gregorio IIII. Ghikae, inter Ruměnos hodierna appellatione, tribuendum est, si, post Phanariotas, Latina lingua, quasi postliminio, revocata est apud colonos, inde a temporibus Trajani imp. latina origine memorabiles.

Quondam etiam veteris virtutis semina ab aris
  Atque focis Romae, Romula gens ab avis
Det, quo confugiant (cum more superstite lingua)
  Qui se Romanos esse fatentur adhuc.

DE DORIDE ISTRIANA.

Mobilibus digitis expergefacta sonorum
  Per chordas series, te numerante modos,
Motibus insolitis facit exultare peritos,
  Qui te conclamant artis honore deam.
Quantula sis studio scis ipsa, et scire fateris:
  Quanta sed et qualis Musa videris adhuc!
Doris amanda etiam saxis, si saxa canoro
  Constarent sensu, scire caveto nimis.
Quod natura dedit, noli diffingere. Stultum est
  Doctrina ingenii debilitare fidem.

DE PALMA DORIDIS.

Regina est flores inter tua palma virentes,
  Dori, quot et quales tu studiosa colis.
Nomine quisque suo memori vult mente referri,
  Vel formae specie sit, vel odore placens.
Stirpe peregrinos tu sed complecteris omnes;
  Nec te dos pretii, nec latet ulla plaga.
Ergo doctrinis plures quae munere palmas
  Pluribus accumulas, hanc quoque sume tuam.
Crescere gaudet enim sic proxima, fiat ut olim
  His etiam ex meritis, Dori, corona tibi.

DE OCULIS DORIDIS.

Dum numerat stellas sibi Luna fidelis, et illis,
Palantes custos ut solet Afer oves,
Defecisse duas invenit acuta notando.
Has video fronti, Dori, subesse tuae:
Dumque micant aliis, urunt me corde subactum,
Totus ego ut fiam, te radiante, cinis.

AD DORIDEM.

Quod longinqua manes, quod abesse diutius a me
Eligis aequorei capta quiete loci,
Non est quod dubitem tibi succensere moranti:
Continuo sed amor per simulacra redit;
Namque tua specie recreatus saepe videndo,
Damna mea efficio, Dori, minora memor.

DE MARIA DEMETRIADE GHIKA.

Gratia, quae linguae fit amabilis arte, videtur
In Demetriadis gallica carminibus.
Sed numeris quod habent ea carmina dulce, supraque
Virginis aetatem nobile ab ingenio,
Illud amor patrius dat, et indole sensus avitae
Virtutis, studio laudis, honore domus.
In Demetriadis sic viva est corde pöesis,
Inter ut aequales altera Doris eat.

FRAUDULENTIA.

Verba dedisse homini velandis sensibus, atque
Motibus in clausa pectoris arce Deum,
Invaluit sermone novo, conclusa scholarum
Per loca, tonstrinis et celebrata fori.
Ex hac doctrina quid profecere recentes?
Odisse alterutrum, decipere alterutrum.
Diligere alterutrum voluere expungere, amorem
Nempe relegantes ad rude stirpe genus.

Taedet animam meam vitae meae. — (Job. X. I.)

Vita est longa dies, cui nox diuturnior instat
Multiplicans stellas, sed sine sole rigens.
Ver redit; aestatem (qua Sirius ardet) amoenus
Excipit autumnus, nec recalescit homo.
Dicere adhuc hominem non est fas, vermium adauctum
Prole receptâclum, spiritus unde abîit.
Sed quo migravit, vel qua regione moratur?
— Judicium subîit (ne pete plura) Dei.
Hoc unum nos scire licet: quicumque negabit,
Hic reus est; perîit judicioque suo. —

PRO INTERITU BARTHOLOMAEI BURGHESII v. cl.

Omnia sole vigent: tu sol laetissimus omnes
Inlustrans artes, magne magister, eras.
Unus doctorum pro, Bartholomaee, phalange
Ipse videbaris stare alienigenûm,
Quos facile erudiens, omnique effusus amore
Fecisti ex oleo lumen habere tuo.

O utinam, qui merce tua, scriptisque disertis,
  Et monitis famae convaluere sono,
Se tandem gratos fateantur! et hujus amici
  Italiae, ac patriae sint ratione pia;
Ferme ut nutricem solet ambitiosus alumnus
  Amplecti a teneris, respicere et juvenis
Mox cupide, ut matrem. Nam tellus Itala alendis
  Omnibus ingeniis ubera matris habet.

LUCIAE SANCTAE V. et M.

VOTA ET PRECES
A BIBLIOTHECA MEDICEO-LAURENTIANA
IDIB. DECEMBR. A. MDCCCLX.

Lucia sancta, oculis sis provida! luce revulsa
  Quae lucem, et regnum nunc super astra tenes.
Nos virtute tua libris inolescere tuti
  Cunctamur, statuis hic similes, acie
Pergameas inter chartas venante oculorum
  Hactenus antiquis indeprehensa notis,
Qualia vel Majum commendant, vel Peyronem
  A palimpsesto nunc rediviva typis.
Respice! daque bonam mentem, da cernere acutum,
  Nosque laborantes alterutrinque juva.
Codicum abundat enim cum scriptis gaza sophorum,
  Captivam pluteis quam tenet aula suis;
Aula, Palatino quae major Apolline dici
  Vel possit, vel sit: namque referta opibus
Doctrinae est ejus, quae Grajis, atque Latinis
  Argento, aut auro visa diu est potior;

Nunc instrumentum, sed pene senile retritum
Carpitur a blattis turpiter, ac tineis:
Praesidiumque libris vetus usu moeret ademptis,
Ne proprium Indicibus continuetur opus *.

* Haec ab A. M. Bandinio memorabilia supersunt: ....
« E poichè la lunga esperienza di anni 43 mi ha fatto « pienamente conoscere che può benissimo un solo individuo « dotato de' requisiti sopraenunziati prendere la direzione « tanto della Laurenziana che della Marucelliana, quindi « mi ardisco di supplicare l' A. V. R. di affidare al primo Bi- « bliotecario della Laurenziana la cura ancora della Maru- « celliana sì per la maggior economia, sì perchè questi non « potrà essere in grado d' esercitare nella Laurenziana lode- « volmente e con decoro il suo impiego..... senza un gran « corredo di libri stampati, che le forze d' un privato non « sono valevoli ad adunare; nè io avrei mai potuto compila- « re 11 tomi stampati in fol. dell' Indice ragionato dei Codd. « mss. dell' insigne B. Laurenziana, alla quale presiedo, « senza un simile ajuto. »' (da una Memoria di A. M. Ban- « dini al G. D. Ferdinando III. del 14 Marzo 1798.)

Jam ab anno MDCCL. Angelus Maria Bandinius Marucellianae Bibliothecae praepositus, S. C. M. Regium Laurentianae Bibliothecae praefectum se declarabat anno MDCCLXII. (v. *Graecae Eccl. Vet. Mon. ex Bibl. Laur. — Florentiae ex typographia Caesaris* 1792. 8.° T. 3.) Per annos igitur LXXXXVII. utriusque Bibliothecae praefecturam in uno constitisse, perspicuum est. Id Ferdinandus III. M. D. E. perpetuum fore constituit placito, q. d. e. X. Kal. April. A. MDCCICVIII.

In rerum subversione, an. MDCCCLVIIII, arbitrio VII Virûm Tusciae per interregnum moderandae, R. Bibliotheca Mediceo Laurentiana Marucelliano librorum apparatu; ejusque praefecturae sede destituta fuit, per decreta, q. d. s. die XXV. Novembris illius anni.

Post admirabilem Italici Regni novitatem, non defuerunt qui Ministerio fungentes Publicae ad quaelibet studia Institutionis, jacturam respicerent Bibliothecae per Orbem celebratissimae. Quod tamen divisum invenerunt invidioso civium judicio, ita se habere nunc etiam patiuntur. Nihilominus aequum est eripere silentio Dominicum Bertium v. cl. cujus singulari providentia et liberalitate Mediceo-Laurentianae gazae insigne subsidium accessit librarum italicarum sex millium, codd. et mss. restaurandis, quae, ob incuriam superioris aetatis, ex situ desuetudinis pene confici videbantur.

FINIS.